EPHEMERIDVM

locus ☉ ex Tychone pro mea nativ[itate]
8. 21. [illegible] 45 Sextans

[illegible] na [illegible] [illegible] [illegible]
tany y [illegible] na [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
Viliora enim largius
emetimur.
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] na [illegible] [illegible]

37

Epocham a meridie Calendarum Ianuarii
incipere est diem anni extra
annum locare. Prudenter ergo
inchoabant a meridie Calendarum [illegible]
bus ut prima dies numeratio [ter]
minaretur in ipso meridie. Vide
ut Copernicus fecit a media no[cte]
more Romano.

Ad investigandos numeros a quopiam secreto conceptos infra 990.

accipiuntur primi inter se per quos dividuntur concepti et residua tantum dicantur.	9	550	Numeri in residua multiplicandi.	Divisor aggregati 990
	10	891		
	11	540		

Omnis sphaerae superficies quadrupla est maximi circuli eorum qui sunt in ipsa sphaera. Archimedes de sphaera et cylindro.

Omnis portionis sphaerae superficiei aequalis est circulus cuius radius aequalis est rectae lineae a vertice portionis in circumferentiam basis ductae. Idem. ibidem.

Quod si addatur quartus addebatur vario gratia 31 qui primus est cum his 9, 10, 11 inter se potuerunt omnes numeri concepti investigari infra 30690, sed alii numeri tunc in residua erunt multiplicandi.

Keplerus una manu aedificat Astronomiam altera diruit. Quid enim certum esse potest in omni motuum doctrina aequalitate primi motus sublata? Vide tabulas Rudolphinas

Itaque potest ille usurpari Terentianum in Phormione. Fecisti probe incertior sum multo quam dudum.

Idem Keplerus sublata Astrologia et in Rudolphinis auxit aspectus [illegible] [illegible] ad [illegible] [illegible]

Divisores primi inter se	9	27280	Numeri in residua multiplicandi	Divisor aggregati 30690
	10	27621		
	11	22320		
	31	14850		

pestIs beLLa faMes absInt paX VIVIDa VIVat

Laurentius Maioles De gradibus medicinarum in 4to 1497.
Dopisy te sa tyku o Broscyusza.

Jani Dubravii Episcopi Olomucensis De piscinis lib. V.
Ad Illustr. V. Antonium Fuggerum Baronem Kirchbergi et
Item Hippocratis Coi aphorismorum libr. duo versibus varijs
redditi Norenbergae Typis Ludovici Lochneri
Sumptibus Joannis Liebii Anno 1623
edidit G Remus I. C.

Tojer prostre tuto
Schuova tak i tak
y wssech y wprostro

Maranta De ordine iudiciorum.

Interea pisces si in exigua nimis aqua diutius stabulentur non aliter
quam cetera animantia si in exiguo aere claudantur exanimari,
animalium naturae indagator Aristoteles testis est. Cum si ac-
cidat ut vel aliunde piscibus immineat pernicies, aut a Verba-
sco in piscinas proiecto, aut a Cyclamini radice quam idem
ἰχθυοθήραν cognominant, aut a lacte Tithymali herbae quam
aliqui caprinam lactucam Cornelius marinam appellat: hinc
item nihil magis expediat quam aquas mutare renovareque.
Hoc eodem lacte Tithymali si corpus alicuius inscriptum et post-
quam inaruit inscriptio cinere conspersum fuerit: narrant ap-
parere literas ut illas vel adulterae queant legere. Succur-
bit exitio piscibus aristolochia molitur siquidem refert Plinius
etc. Est et cannabis succus amarus piscibus mortifer, propter-
quod nos qui in regionibus nostris tum cannabi tum piscibus abun-
damus lege atque multa vetamus ne cui liceat cannabim iuxta
piscinas macerare. Contra Apium omnibus piscibus morbo labora-
ntibus maxime est salutare, hoc ipso Plinio libro XX prodente.

Teuffels-milch.

Ex Jano Dubravio Epo Olomucensi

Philippus rex Hispaniarum natus est 1605 die 8 Aprilis Hora 9 post meridiem. Valliseleti altitudo poli 41 graduum ascendente gradu 15

NB Dibuadius in praefatione super librum quintum Elementorum Euclidis — Communis hic liber est plurimis artibus et scientiis. Magna enim in Musica, Astronomia, Geographia, Perspectiva et Arithmetica vis est. Tantum revolutiones mundi, mutationes imperiorum miracula naturae, cum hac proportionum doctrina commercium habent et philosophus hac arte instructus plurima solerti ingenio quasi Numinis tactus ex abysso naturae arcana eruere possit; nec errori involvitur nisi cum auctor ille et conditor rerum Deus potenti vi sua Naturae ordinem immutet.

X in quibus regula proportionum fallat

℞ Ungu. Popul. ℥iiij
Ol. rosar. ℥j
Succ. plantag. ℥ß
Misce fiat cum lento igne Ungu.

℞ Sulph. vivi ℥j
Tragacant.
alum. ana ℥j
fiat pulvis ponatur in patella coq. in aceto bono
qptu ghbuhoxod p.

~~Ephemerides~~ monstrant nobis opticam ~~planetarum~~ apparentiam in Zodiaco. intervalla siderum physica non monstrant. exempli gratia Lunam Saturno iungi. ad Pleiades accedere. et quanto tamen spacio sic iuncti distant!

CXXXIV

Epochæ ad annum
Christi Domini 1645
completi per ultimam
Decembris meridie

9	10	11	26	Medii motus ☉
3	6	30	20	Apogæi Solis
0	28	15	14	Fixarum
2	22	42	18	Medii motus ☽
8	19	37	4	Apogæi
4	11	56	43	☊ retrogradantis.
1	8	38	17	Medii motus ♄
8	26	54	20	Apogæi
3	21	53	32	☊ Saturni
2	26	9	20	Medii motus ♃
6	7	27	23	Apogæi
3	5	28	36	☊ Jovis
9	5	6	46	Medii motus ♂
4	29	50	5	Apogæi
1	17	14	19	☊ Martis
0	28	6	51	Medii motus ♀
10	2	12	52	Apogæi
2	13	35	59	☊ Veneris
10	24	17	28	Medii motus ☿
8	14	8	22	Apogæi
1	13	29	16	☊ Mercurii

♄	0	38	38	17
♂	4	35	6	46
Superatio	2	3	32	31

Virtutem videant, intabescantque relicta.

Pars Prima

EPHEMERIDUM
NOVARUM ET MOTUUM
COELESTIUM
QUINQUENNALIS,

AD ANNOS ÆRÆ CHRISTIANÆ
1636. 1637. 1638. 1639. 1640.

In Luminarium motibus & Eclipsibus ex Tabulis Danicis CHRISTIANI S. LONGOMONTANI, in reliquis Planetis ex Tabulis Rudolphinis JOANNIS KEPLERI juxta exquisitas Nob. TYCHONIS BRAHEI observationes constructis, debitâ diligentiâ elaborata & supputata

à

LAURENTIO EICHSTADIO, Med. D. & Physico Ordinario in Veteri Sedino Pomeranorum.

CUM PÆDIA DE UTENDI METHODO.



STETINI, Typis & Impensis DAVIDIS RHETII,
M. DC. XXXIV.

Viris ex Aula Ducali Stetinensi Amplißimis, Nobilißimis, Consultißimis, Eminentißimisq́;

D. JOHANNI SCHVVALENBERGERO, Illustrissimi, Reverendissimiq; Ducis ac Episcopi Pomeranorũ, Domini Dn. BOGISLAI XIV. &c. Cancellario.

Dn. HEINRICO Schwiechel/ Cameræ Ducalis Stetinensis Consiliario.

D. JOACHIMO FABRICIO, Directori judicii inferioris, & Prætori.

Dn. CHRISTIANO SIGISMUNDO à Schack/ Nobili aulico, & in Prüllevitz hæreditario.

Dn. HEINRICO Westphall/ SubMareschallo, & Archimagiro aulico.

NEC NON

Viris admodùm Reverendis, Præclarissimis, Excellentissimisq; ex Ministerio Ecclesiastico.

D. JACOBO FABRICIO, Ducalis gubernationis Stetinensis Superintendenti generali, Ecclesiastæ aulico, nec non Consistorii Ecclesiastici ibidem Assessori.

D. DANIELI CRAMERO, Cathedralis Ecclesiæ ad D. Mariæ Pastori, Illustris Pædagogii Professori, & Assessori Consistorii Ecclesiastici.

D. CHRISTOPHORO SCHULTETO, Ecclesiæ ad D. Jacobi Pastori primario.

Dn. CHRISTIANO GROSSIO, SS. Theol. Licentiato, ad D. Mariæ Stetini Archidiacono, Ducalis Gymnasii Professori, & Consistorii Ecclesiastici Assessori.

M. SAMUELI FUCHSIO, Templi Nicolaitani Pastori.

UT ET

Viris Spectabilibus, Consultißimis, Prudentißimis, Doctißimisq; ex ordine Senatorio, & ex parte Scholæ oppidanæ Ephoris

Dn. PAULO FRIDEBORNIO, Consuli Reipubl. Stetinensis.

Dn. MICHAELI RASSCHIO, Syndico ejusdem Reip.

Dn. MICHAELI NEUMANNO, Camerario.

Dn. JOHANNI DILLIES, Camerario.

Dn. JOHANNI DREIERO.
Dn. JOACHIMO Reberg.
Dn. JOHANNI PASCOVIO.
Dn. CHRISTIANO LANGIO.
Dn. JACOBO GABRIELIS.
} Senatoribus.

Adhæc

Consultissimis, Excellentissimis, Clarissimisq; Jureconsultis, & Illustr. Archidicasterior. Pomeran. Advocatis

D. ELIÆ PAULI, Regni Suecici Consiliario.

D. JOHANNI MEJERO, Illustrißimæ viduæ JULINENSIS Consiliario.

D. JOHANNI PFEIFFIO.

D. ALEXANDRO SEYFERTO.

D. VVOLFGANGO Lochmann.

Insu-

Insuper

Excellentißimis, Clarißimis, Experientißimisq́,
Medicis

D. CHRISTOPHORO ALBINO, Seniori.
D. VVILHELMO SIMONIDIS, aulico Medico.
D. ADAMO RUBACO, itidem aulico Medico.
D. ANDREÆ HILTEBRANDT, Poliatro.

Simulatq;

Viris Consultissimis, Prudentissimis, Literatissimisq;
Judicij inferioris in Scabinatu Assessoribus & Illustr.
Archidicast. Advocatis.

M. DANIELI CÆSARI, Seniori.
Dn. LAURENTIO VVEGNERO.
Dn. MARCO Schloeseken.
Dn. GREGORIO Westphall.

Et tandem,

Viris Clarißimis, Præstantißimis, Eruditißimisq́,
Philosophis eximiis.

M. MARTINO LEUSCHNERO, Illustris Pædagogij Stetinensis Rectori.
M. JOHANNI MICRÆLIO, Scholæ Stetinensis Senatoriæ Rectori.

Dominis suis, Patronis, Fautoribus & Amicis devotè colendis & peramanter observandis hasce suas primitias URANIBURGI PLANETICI *ex Tychonicis fundamentis extructi dat, dicat, consecrat*

Laurentius Eichstadius, Med. D.
& Reipubl. Patriæ Physicus Ordinarius.

Viri omnium ordinum Reverendi plurimùm, Amplissimi, Nobilissimi, Consultissimi, Clarissimi, Excellentissimi, Præstantissimi, Doctissimiq;.

Magnifica & præclara est divini Regis ac Prophetæ DAVIDIS SENTENTIA, quâ majestatem DEI *ex ejus operibus mortalibus conspiciendam prædicat atque describit, ita Psalmum nonum & decimum exordiens:*

הַשָּׁמַיִם מְסַפְּרִים כְּבוֹד־אֵל

hoc est: Cœli enarrant gloriam DEI. *Quandoquidem pulcherrimum illud cœli opus intermicantibus Astrorum luminibus, tanquam floribus, adornatum (ut* Lactantius lib.6. divinar.instit. cap 20. *loquitur) ad nullum aliud animantium genus, quàm ad hominem ab solo patrio extorrem spectat. Ideò enim* DEUS *hominem erectum, excelsoq; animo præditum creavit, ut ad cœlestia oculis simul ac mente consurgere posset, secundum illud* Ovidij Poëtæ, lib.1. Metamorph. v. 85. & seq.

Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Homo enim per ea, quæ in oculorum sensum incurrunt, id, quod ultra mundum est, scrutatur, & in τὰ ἀόρατα θεοῦ *penetrat, atq; per ea, quæ facta sunt, æternam DEI tùm potentiam, tùm divinitatem colligit, ut electus ille gentium Apostolus ad*

Rom.

Rom.cap.I,20 *graviter docet,eoq; dicta apud* Ecclesiasticum cap.XLIII,2.& in lib.Sapientiæ cap.XIII,5. *respiciunt. Cœli autem cœlestiaq; corpora gloriam* D*ei non tantùm magnitudine,lumine & splendore,sed & motu suo,quem à conditu Mundi exercuerunt,regulari & immutabili,enarrant: Id enim Spiritus S. voculâ* מְסַפְּרִים *significanter ostendit : siquidem non saltem illa* διηγεῖσθαι, *hoc est*, enarrare & ordine recensere, *sed* & ἀριθμεῖν καὶ ἐξαριθμεῖν numerare & exputare *denotat, sicut eam* septuaginta Interpretes Geneseos cap.XV.5. JOB cap. III,6. Ezechiel cap. XLIV, 26, & *alibi ita reddiderunt. Proindè cœlum ordinario suo constantiq; motu , quem à primis mundi incunabulis ad certos ac definitos numeros exercuit, & adhuc in eodem motu constanter manet, gloriam* D*ei Conditoris, motoris & conservatoris præclarè ostentat, & immutabilem naturam sapientissimamq; supremi autoris & gubernatoris manifestò loquitur. Etenim complures ætates multorumq; seculorum decursus testantur, motui siderum nihil temerarium,nihil vanum, nihil fortuitum inesse, sed omnes & singulas stellas perpetuas stabilesq; agnoscere revolutionum suarum leges,à quibus ne ad latum quidem unguem deflectũt. Hinc & natæ sunt Tabulæ motuum cœlestium & conversionum siderum,ex quibus non tantùm Eclipses utriusq; luminaris præteritæ & futuræ,ante & post multa secula,sed & fixarum, Erronumq; positus,certaq; spatia,tàm quoad longitudinem quàm latitudinem, certò sciri & prænunciari possunt. Etsi verò ad inquisitionem tantorum ætas una non suffecit, ut tota cœlo vacaret,ceu* L.A. Seneca lib,7,natural. quæst. cap. 25. *scribit:*

tamen

tamen continuatæ per multa ſecula obſervationes Aſtrophilis periodicæ motuum corporum cœleſtium leges patefecerunt. Sideralis enim ſcientia à prima mundi origine ſuum agnoſcit ortum & progreſſum: quippe quæ lentè per ſuam infantiam, pueritiam & adoleſcentiam in juvenilem demum ac virilem ſuccrevit ætatem. Prima ejus conceptio & infantia ſub Patriarchis fuit: nam Joſephus hiſtoricus Judæorum, lib. 1. antiquit. ſub finem capitis 3. *de filiis SETH narrat, quod fuerint primi Aſtronomiæ autores & cultores, quodq́; ſua reparta in hac arte excitatis duabus columnis inſcripſerint, quarum una lapidea tempore Joſephi in Syria conſpecta fuit. A Patriarchis poſtea ad Ægyptios & Chaldæos progreſſa eſt, quibus & Græci ſcientiam ſtellarum acceptam retulerunt, ut nec* Ariſtoteles, lib. 2. de cœlo, cap. 12. *diffitetur, inquiens:* Ab Ægyptijs & Babylonijs, qui plurimis jam annis ante nos ſtellas obſervaverũt, multa fide digna accepimus. *Ab illis igitur ad Græcos quoque cognitio ſiderum dimanavit. Hinc* THALES Mileſius *monumentis veterum celebratur, quod primus Græcis æquinoctia & Eclipſes ante bis mille trecentosq́; ferè annos præſcripſerit, veluti fide digni teſtes ſunt* Diogenes Laërtius, in Thalete, Plinius lib. 2. naturalis hiſtoriæ cap. 12. Strabo lib. 14. Geographiæ, cap. 2. Pomponius Mela in Jonia, Euſebius in Chronicis numero 1266. *Et licet ille prima duntaxat artis hujus rudimenta & elementa ceperit, tamen eò ſagacitate ingenij pervenit, ut futuram Solis defectionem ſub Aſtyage, quæ ante annos 2216. die 16. Martij Calendario Juliano accommodata, & anno Mundi 3369. ſecundum Chronologiam Sethi Calviſij videtur*

accidiſſe

accidisse, sicut præter ante nominatos autores Cicero lib. 1. de Divinatione, & Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum ex Eudæmo *affirmant. Huic Thaleti postmodum successerunt* Canon Samius, Aristarchus, Callippus, Eudoxus, Timocharis *& alij: nam liberalitate Regum Ægyptiorum artes & Astronomia Alexandriæ excitatæ sunt, sicut pluribus* R. Reinectius parte tertiâ hist. Juliæ pag, 67. *ex aliquot gravissimis historicis idem demonstrat. Sub hisce Astronomiæ pueritia paulatim adolevit, donec tandem* Hipparchus *prodiret, ubi firmioribus cruribus incedere visa est. Floruit autem is annis proximè 160. à morte Alexandri M. & totidem ante nativitatem Christi, primusq; fuit, qui Ephemeridas sexcentorum annorum condidit, in quibus luminarium motus supputavit & tempora Eclipsium ante denunciavit, quemadmodum* Plinius lib. 2. natural. historiæ cap. 13. & cap. 26, *attestatur, à quo* Hipparchus consiliorum naturæ particeps *vocatur. Quamvis autem Astronomia sub Hipparcho adultior esse ceperit, tamen ejus tabulæ adhuc multâ imperfectione laborarunt, sicut ex* magno opere Ptolemæi *apparet, qui eum quidem* βιβλίῳ τρίτῳ μεγάλης συντάξεως ἄνδρα φιλόπονον καὶ φιλαληθῆ *hoc est,* laboris patientem & veritatis amantem nominat: *tamen pluribus in locis, nominatim autem* lib. 3. magni operis cap. 2, lib. 4. cap. ultimo, lib. 5. cap. 19, lib. 6. c. 9. *observationes ejus imperfectionis & errorum coarguit & convincit, expreßeq;* ἐν βιβλίῳ ἐννάτῳ cap. 2 *scribit:* Δύσκολον τὴν μαθηματικὴν θεωρίαν διὰ πολλὰ, ὅτι τῶν παλαιῶν τηρήσεις ἀνεπιστάτως καὶ ὁλοσχερῶς γεγράφθαι *hoc est,* quod hæc mathematica Astrorum contemplatio ob multa sit difficilis: quia & priscorum observationes, ipsiusq; Hipparchi, minore circumspectione

&uni-

& universalius conscriptæ sint. *Quamobrem hic Græcus Astronomiæ præceptor fidelißimus & scientißimus, veterum, ipsiusq́; Hipparchi observationes, eas cum suis conferendo, ad certiorem viam revocavit, ita ut sub hoc* Claudio Ptolemæo, *natione Ægyptio, Astronomia juvenile quoddam robur acquisiverit. Vixit autem Cl. Ptolemæus & observavit siderũ motus sub Hadriano & M. Aurel. Antonino Impp. ab A. C. 125. ad A. C. 141. atq; ita per sedecim integros annos Astrorum observationibus invigilavit, & dehinc Astronomiam Babylonicam, Ægyptiam, Græcam, atq; Latinam in certam artem, siderumq́; motus in peculiares canones seu tabulas redegit, atq; de ijs Bibliothecam quandam magnumq́; opus, in quo &* Menelai *sui antecessoris* libri sex de Subtensis, & *Hipparchi* libri duodecim de radio *continentur, edidit, illudq́; in tredecim libris comprehendit, quod opus Arabes* Almagestum *ex suo articulo* Al & *Græco* τὸ μέγιϛον *ita appellare soliti sunt, quo opus illud magnum seu libros tredecim* μεγάλης συντάξεως *significare volunt. Videatur &* Suidas in Claudio Ptolemæo, Tomo secundo, pag. 646.

Hæc Astronomia posteà in Africam servitum abiit, & ab Arabibus recepta & exculta est; nam Maimon *rex Saracenorum in Babylone anno Hegiræ seu fugæ Mahometis 212, qui incepit die secundo Aprilis, nimirum circiter annum Christi 827. hoc magnum opus cœlestium revolutionum Ptolemæi, in linguam Arabicam transferri curavit, sicut* Almagestum Arabicum Josephi Scaligeri, *quod in Bibliotheca Leydensi asservatur, fidẽ facit, & ex eo quoq;* Calvisius *ad præfatum annum Christi recenset. Proinde & Arabes tàm præclarũ nacti rerum cœlestium thesaurum ad observationes siderum excitati sunt: Quippe paulò post*

lò post

lò post Albategnius *inventus est, qui circiter annum Chr. 882. æquinoctium ad modum Ptolemaicum cepit, & sequente anno Eclipsin Lunæ, & tandem A. C 891. Aractæ Eclipsin Solis observavit, sicut ex* libro hujus Albategnij, qui & Mahometes Aracensis vocatur, de motu stellarum, ex observationib. tùm proprijs, tùm Ptolemæi Norimbergæ à Petrejo A. C. 1537. *excuso videre est. Exinde sub annum Christi 1230. Fridericus II. Imperator hanc magnam Ptolemaicam Astronomiæ Syntaxin ex Saracenica lingua consuetudini latinæ dari curavit, ut Cuspinian. in Friderico II. Imp. memorat. Atq; sic Ptolemæus, diligentiâ Arabum, Europæis prius in Latinâ quâm Græcâ linguâ innotescere cœpit. Dehinc post obitũ hujus laudatißimi Imperatoris, qui studia discentium plurimùm provexit,* ALPHONSUS *Hispaniarum Rex, circiter A. C. 1252. Astronomiæ corrigendæ atq; propagandæ, convocatis ad hoc negotium peritißimis Astronomis Hebræis & Mauris, sumptuosè fuit deditus: nihil tamen in motu fixarum, quod à Ptolemæi dogmate discederet, immutavit, sed motuum in omnibus solummodò factam intereà portionem adjecit, & tabulas Astronomicas ad meridianum Toletanũ cõstruxit, indicem præcipuarum historiarũ consignavit, suamq; Æram ad Calendas Junij anni Christi præfati 1252, feriam septimam constituit. Qua de re legatur* Cardanus in libro, *quem* supplementum Almanach, *seu* de restitutione temporum & motuum cœlestium *inscripsit*, Christmanuus in Alfraganũ pag. 495. & S. Calvisius in Chronol. *ad modò dictum annum. Alfonsina harũ tabularũ methodus à doctißimis optima habita est, ex qua motus Planetarum fixarumq; supputârunt. Hasce diversi Astronomi, utpote* Johan. Blãchinus A. C, 1458. Luc. Gauricus A.

 Christi

Chriſti 1524. Paſchaſius Hamelius Mathematicus Pariſienſis Anno Chriſti 1545. Nicolaus Prugnerus Anno Chriſti 1553. *acceßione aliarum tabularum auctas evulgarunt. Eodem quoq; anno 1553.* Georgius Peurbachius *ex propriis obſervationibus Canones Eclipſium, in quo multa Ptolemæi placita emendavit, edidit. Inde* JOANNES REGIOMONTANUS, Peurbachij *diſcipulus, tabulas Alfonſinas cum Ptolemaicis, (quas olim Græcas* Peurbachio Nicol. Beſſarion *Cardinalis, ut eas Latinitate donaret, obtulerat) conferens, easq; propriis obſervationibus limitans, primus in Germania Ephemeridas annorum XXX, quas* Almanach *vocat ab Anno Chriſti 1476. quo & mortuus eſt, ad annum Chriſti 1506. ſupputatas publicavit, quarum mediam partem ex donatione M. Rhetij, paſtoris olim Golnavienſis, poßideo. Hic novus & ignotus anteà Matheſeos fœtus ita gratus Europæis accidit, ut exempla ſingula duodecim Hungaricis venderentur, Germanis, Hungaris, Italis, Gallis, Britannis certatim coëmentibus, ceu meminerunt* J. Trithemius in ſcriptoribus Eccleſiaſticis pag. 355. & 372. editionis Francofurtenſis, Philippus Melanchthon tom. I. declamat. Pet. Ramus lib. 2. procœmij Mathematici, & ex eo Zuingerus lib. 18. Theatri Hiſtorici. Tabulæ reſolutæ Schœneri *cum Alfonſinis etiam planè conſentiunt. Hujus ad exemplum alij quoq; complures ex tabulis Alphonſinis faſtos Aſtronomicos & Ephemeridas condiderunt: notæ enim ſunt Ephemerides* Johannis Stöffleri *ab Anno Chriſti 1507. uſq; ad Annum 1556,* Cypriani Leovitij *ab anno Chriſti 1556. ad annum 1606. deductæ & continuatæ.*

Cæterum ſub auſpiciis Nicolai Copernici *Torunenſis A-*

ſtronomia

stronomia virilem ætatem ingredi visa est, siquidem ille ex non paucis iisq; ingeniosissimis animadversionibus intra triginta annos, nimirum ab anno Christi 1500. ad A.C. 1530. habitis deprehendit, plerasq; veterum observationes adhuc quadam correctione indigere: unde facta suarum τηρήσεων *cum veteribus collatione multa in* insigni illo revolutionum cœlestium opere, (*quod discipulus ejus* Rheticus *anno Christi supra millesimũ quingentesimum quadragesimo tertio, quo Copernicus obiit, jam Septuagenarius, Norimbergæ excudi curavit,) emendavit, multa in motu luminarium & quinque reliquorum Erronum restituit & ad exactiorem normam revocavit. Ex hujus eximij & perpetuâ memoriâ dignissimi Mathematici hypothesibus* Tabulæ Prutenicæ Erasmi Reinholdi Math. VVittebergensis *constructæ sunt, quas faciliores* JOAN. *A. Maginus in Tabulis secundorum mobilium Venetijs A.C. 1585 editis reddidit.*

Ex hisce Tabulis Josephus Scala *Med. D. Venetijs Ephemeridas ab Anno Christi 1589, incipientes, ut &* Joannes A. Maginus *ab A.C 1580. ad A.C. 1630,* Joan. Stadius *ab A.C. 1554. ad A.C. 1606. & deniq;* M. David Origanus *ab A.C. 1595. ad A. C. 1654. diligenter supputarunt, publiciq; juris fecerunt.*

Tandem TYCHO BRAHE ex nobilissima Danorum prosapia oriundus surrexit, cui nostra Astronomia suam perfectionem debere profitetur: Cùm enim is Lipsiæ literarum studiis operam dans, circiter A.C. 1563. ex αὐτοψίᾳ *cœlĩ animadverteret, conjunctionem illam magnam superiorum in signo ♋ neq; cum calculo* Tabularum Alphonsinarum, *neq; cum* Copernicæo *consentire, sed ad dies non ita paucos (ut* Tycho in Mechanica Astronomia *refert) ab ipso cœlo exorbitare, animum*

ad instaurandam Astronomiam adjecit, & de Instrumentis Mathematicis ad observationem siderum idoneis fabricandis ab eo tempore sollicitè cogitavit. Ad quod studium apparitione novæ stellæ A. C.1572. in cathedra Caßiopeæ magis excitatus est: Cum enim affabrè elaboratis organis distantiam hujus insoliti Phænomeni à fixis atq; fixarum inter se intervalla exquisitè caperet, deprehendit, Copernicum omnesq; ejus antecessores & Astronomos latiori indagine perennium stellarum intervalla per dena saltem minuta accepisse & consignasse, & ne quidem intra has Sextantis unius gradus metas, rem omnem esse assecutos, dimidio sæpiùs gradu aut etiam integro deficiente vel abundante: unde & postea in observatione Planetarum tàm veteres quàm ipse Copernicus *per unum, duos, tres, imò etiam quatuor gradus à vero illorum in cœlo situ deviarunt: hinc rectè* Copernicus olim ad Rheticum (ceu iste in præfatione Ephemeridis Anni 1551. ad lectorem *meminit) dixit*: Ego Copernicus, si ad Sextantes, quæ sunt scrupula decem, veritatem (in motu sc. stellarum) adducere potero, non minus exultabo animo, quàm ratione normæ repertâ Pythagoram accepimus. *Quamobrem* Tycho *nobilißimum illud Astronomiæ lumen hosce defectus in revolutione corporum cœlestium supplere satagens, comparatis sibi incredibilibus sumtibus justæ magnitudinis instrumentis ex solidis metallis exquisitè confectis sub auspicio inclyti Regis Daniæ FRIDERICI per viginti continuos annos, ab A. C. 1581. ordiendo, observationibus stellarum tàm fixarum quàm Erronum pervigilibus incubuit, inq; hoc studium sideralis scientiæ perpoliendum ultra centena nummorum argenteorum uncialium millia, quæ ferè*

ducenta

an talerorum?

ducenta talenta Attica exæquant, impendit, sicut ipsemet in conclusione antè nominatæ suæ Astronomiæ Mechanicæ affirmat, hæredesq́ ejus in dedicatoria epistola primæ parti instauratæ Astronomiæ præmissa idem repetunt.

Et quanquam hic incomparabilis Astronomus præclaro redintegrandæ Astronomiæ operi A. C. 1601. die 14. Novembris S. V. immortuus est, & tantùm se vivo motus Luminarium, Eclipses in iis, locaq́ stellarum fixarum in Zodiaco restituit, tamen duos fidelißimos Administros, qui cœptis ejus non defuerunt, sed extremam manum feliciter imposuerunt, reliquit. Unus illorum fuit Christianus Severini Longomontanus, *Mathematicus in Hafniensi Academia exercitatißimus, qui per integrum octennium nobilißimo Tychoni in notando siderum cursu adjutor fuit, aßiduisq́ ejus observationibus nõ solùm interfuit, sed etiam maximâ ex parte præfuit, quemadmodum hæredes Brabeani* in appendice partis primæ Progymnas. Astronomiæ *id non diffitentur, nec* Keplerus in præfatione Tabularũ Rudolphinarum *honorificam ejus mentionem intermisit. Is igitur Tabulas motuum cœlestium omnium Planetarum & affixorum siderũ ex observationib. Tychonis Brahe & proprijs deductas in* libro, *quem* Astronomiam Danicam *inscribit, A. C. 1622 primus foras emisit, ex quib. ab A. C. 1625. mea Calendaria supputavi, & ante triennium Ephemeridas Astro-Meteorologicas ab anno 1630. ad A. C. 1633. evulgavi. Alter fuit* JOANNES KEPLERUS, *Trium ordine Imppp. olim Mathematicus, qui eodem labore etiã bonâ fide defunctus est, &* Tabulas Rudolphinas *locupletes hujus rei testes* ANNO M. DC. XXVII. *bono publico in lucem evulgavit, & aliis eruditißimis suis scriptis non parvam*

accessionem Astronomiæ attulit. Quandoquidem tàm in publicatâ Chiliade Logarithmorum, *quàm præfatis Tabulis egregium demonstravit in Astronomia compendium, nimirum omnem ejus calculum ope Logarythmorum, Meso- & AntiLogarithmorum, citra spinosos Multiplicationis, Divisionis, Radicum extractionis labores pertexendi, sicut methodus suarum Tabularum in singulis Planetis & Eclipsibus supputandis à nemine anteà tentata id abundè docere potest. In* Commentarijs de motibus stellæ Martis *non solùm hypotheses motuum Martis ex observationibus Tychonicis proposuit, sed & multa in Luminarium motu illustravit, formasq; hypothesium Ptolemæo, Copernico & Tychoni communes exposuit & inter se conciliavit. In* Optica sua *Astronomiæ parte & in Vitellionem notis accuratum Eclipses observandi modum & quæ ad enucleandam Parallaxium & Refractionum stellarum rationem, præsertim Lunæ, faciunt, subtiliter diserteq; tradidit. In* Mysterio *suo* Cosmographico *veras commensurationes orbium Planetarum, Fixarumq;, atq; proportiones inter se & cum Mundo excußit, multaq; ibidem ingeniosè rimatus est. Ne dicam hîc de tuis* Harmonices Mundi libris quinque, *in quibus, præsertim quarto L. veteres novosq; aspectus corporum cœlestium ex Harmonica circuli figura deduxit, lateq; probavit; neve hîc etiam memorem* septem Astronomiæ libros, *in quibus doctrinam primi & secundi Mobilis ad hypotheses Copernici & Tychonis observationes plenè explicuit. In hisce omnibus suis scriptis, ut & in* Hyperaspiste adversus SCIP. Claramontij, Anti-Tychonem *se Keplerus tanquam scientißimum Astronomiæ Tychonicæ Doctorem probavit & omni posteritati com-*

mendavit

mendavit. Itaq; hi duo viri restituti motus Planetarum ad Tychonis τηρήσεις fuerunt Magistri atq; perfectores. Et ipse Keplerus primus fuit, qui ex Tabulis Rudolphinis ab A. C. 1617. ad A. C. 1636. Ephemeridas construxit, ex quarum collatione cum Ephemeridibus ex Tabulis Prutenicis supputatis tàm in motu Planetarum, quàm Eclipsium determinatione notabile discrimen apparet, observationesq; diligentium Astronomorum e. g. Origani in deliquio Solis ad A. C. 1598. & Doct. Jöstelij in eodem, Schickardi in motu Mercurij & diligenti animadversione aliquot defectuum Lunæ, Petri Gassendi occupationes circa res easdem bonâ fide tradunt, normam harum tabularum cum ipso cœlo satis præcisè consentire, contra Tabularum Prutenicarum calculum ab ipso cœlo nonnunquam per integros aliquot gradus deflectere, quemadmodum & cœlestia quemlibet attendentem Annus Christi 1625. condocefacere potuit in motu Martis, ubi existente Marte retrogrado, differentia utriusq; calculi & veræ longitudinis stellæ Martis ad quatuor gradus & ultra excrevit: quippè ad primum Augusti ejusdem anni S. V. Mars secundum verum motum & calculum tàm Tabular. Rudolphinarum & Magini in supplemento Ephemeridum, quàm Astronomiæ Danicæ in quinto ferè gradu ♈ repertus est: at Tab. Prutenicæ ♂ in 2 gradu ♈ constituerunt, ubi discrimen erat trium propè graduum: majus autem illud occurrit circiter initium Septembris, ubi 2. ejusdem S. V. ♂ ad Tabulas Tychonicas versabatur in 2. grad. ♈: at epilogismus Tab. Prutenicarum eum suggessit in 27. grad. & 32. min. ♓, ubi illæ ab hisce per 4. gradus ferè cum semisse differunt, qualis itidem

discrepantia sequente mense Octobri inventa fuit; hanc etiam Tabb. Prutenic. *in motu & aberrationem à vero loco cœli quilibet in Astronomia mediocriter versatus, conferendo locum Martis cum stellis vicinis in Zodiaco & globum cœlestem Tychonicum adhibendo tunc deprehendere poterat, quemadmodum etiam hanc deflexionem* Tabb. *tàm* Alphonsinarum *quàm* Prutenicarum *in longitudine Martis determinanda Vir Consultißimus & Clarißimus D.* JOANNES TREDERUS *p.m. in Astronomiæ cognitione & Theoricâ Planetarum cum paucis comparandus, cum sub idem tempus primâ nocte stellarum contemplatione se oblectaret, adjuncto Tychonico globo notaverat, sicut in epistolio tunc ad me conscripto testatus est.*

Hi duo insignes Mathematici fuerunt restituti motus Brahæi Magistri & Perfectores. Ante annos etiam non ita multos Ephemerides ex hisce instauratis Tabulis motuum cœlestium operâ ipsius Kepleri *& generi sui* Jacobi Bartschij *supputatæ prodierunt, quæ ab A.C. 1617. ad A.C. 1636. se extenderunt, & Calendario Gregoriano accommodatæ sunt. Quia verò uterq; jam fato defunctus est, labor continuandi hasce Ephemeridas ad Clarißimum Mathematicum Francofurtensem* B. Ursinum, Origani, *diligentißimi olim Ephemeridistæ, successorem &* γνήσιον Kepleri *sectatorem devolvebatur, qui & illum non defugiebat: sed & hic inter hasce curas lucubrationesq; rebus humanis non sine Uraniæ planctu exemptus est. Quando igitur hoc adversum Astronomiæ fatum dolenter perpendo, videoq; hoc tempore studia ista ob iniquißima tempora hominumq; ignaviam languescere, multosq; ob rei difficultatem laborisq; magnitudinem à con-*

tinuatio-

tinuatione condendi Fastos Astronomicos exquisitis Tychonis observationibus superstructos deterritum iri, ego calculi aleam jacui, quæ ut benè cedat à Deo O. M. à quo omnia bona dona proficiscuntur, peto precorq́;. Quamvis enim professione non sim Mathematicus, tamen me ab ea ætate, qua primùm humanioribus literis initiatus fui, cum Medicina Mathematica studia, præsertim horum reginam Astronomiam, conjunxisse non diffiteor. In hujus igitur studij erudito pulvere me etiamnum horis succisivis exercere soleo: adeò enim me sideralis scientia in sui admirationem & amorem rapuit, ut animum semel suis gratiis delibutum gratâ servitute sibi addictum retineat. Proindè ejus cupidissimus amator & cultor horis extraordinariis non solùm ex hisce Tabulis Tychonicis veteres Eclipsium tàm solarium quàm Lunarium observationes, quotquot in fide dignis Historicis & Chronologia Sethi Calvisij *occurrerunt, verùm etiam lectissimas tàm veterum quàm recentium Astronomorum in notandis Planetarum locis animadversiones impigrè supputavi, & cum observationibus contuli, ubi certè tabulas istas cœlestium motuum esse perpetuas, omniq́; ævo & seculo præterito & futuro rectiùs & exactiùs, quàm hactenus usitatas, Alphonsinas & Copernicæas, satisfacere compertus sum, quilibetq́;, qui in hoc Mathematico pulvere desudabit, deprehendet: insuper etiam ab eo tempore, quo Tabulæ istæ prodierunt, ex ijs Diaria ad usum meum Calendariographicum construxi, ut à me Meteorologia certiùs meliusq́; excoli posset. Neq́; etiam novum & improbum est, Medicos in hoc stadio currere, ut causas superiores cum inferioribus rectè conjungere discant: feceruntq́; idem* Hierony-

 mus

mus Cardanus, *qui multas condidit Tabulas,* Josephus Scala *Ephemeridista,* Nicolaus Müllerius *Tabularum Frisicarum Autor,* Melchior Jöstelius, Ambr. Rhodius, Jac. Fabricius *qui omnes Mathematum Professores, Medicinæq; Doctores partim fuerunt, partim adhuc sunt. Fecit idem* D. Herlicius, *Medicus & Mathematicus Stargardiensis celeberrimus, Dn. Compater meus peramanter observandus, veluti eruditissima ejus Mathematica scripta loquuntur, isq; primus fuit, qui mihi Tabulas Tychonicas motuum cœlestium à* C. S. Longomontano *publicatas dono obtulit, sæpiusq; mihi, ut & ego pro meâ tenuitate de excolenda illustrandaq; Astronomia cogitationes susciperem, suasor & hortator extitit.* Quamobrem nunc Ephemeridas quinque annorum, 1636, 1637, 1638, 1639, 1640, foras do, simulque Tabulas Astronomicas, præfati utriusq; Eximij Mathematici, C. S. Longomontani & Kepleri, ex observationibus Tychonicis compositas, omnibus Astrophilis, tanquam optimum memoriæ subsidium, ex quibus per multas seculorum successiones deliquia Luminarium, omniumq; fixarum Erronumq; motus in debito puncto præ Alphonsinis & Prutenicis supputare possunt, diligenter commendo, & ut maturè se iis assvefaciant hortatione meâ publicâ excito.

Vobis autem Viris omnium ordinum plurimum Reverendis, Amplissimis, Consultissimis, Clarissimisq; tanquam Sapientissimis Cœlestis Scientiæ hoc literatorum seculo Æstimatoribus Opusculum illud inscribo atque offero, ut publicum aliquod meæ erga vos observantiæ extet

testimo-

testimonium: Benignè, quæso, Mathematicas Artes, quæ à nostro solo & polo Pomeranico exulare videntur, in vestro pectore excipite, & de hoc Opusculo honestè judicate. Si DEus porrò vitam viresq; concesserit, hasce Artes, & Medicinam imprimis, cui juratus sum, pro ingenioli mei capacitate ornare non cessabo. Majora quidem dedissem, sed cogor illud de me affirmare, quod olim *Ovidius, lib. 2. Trist. vers. 531. & sequente*, de semet ipso:

Invida me spatiis naturæ coërcuit artis
Ingenij vires exiguasq; dedit.

Itaque cùm facultas mihi desit res magnas sectandi & edendi, animum meum respiciatis, hocq; parvum & chartaceum munusculum non fastidiatis oro & obsecro. Valete Viri omnium ordinum Honoratissimi, Amicissimiq;, meque imposterum, ut antehac, vestro Patrocinio & favore non dedignamini.

In Veteri Sedino, Mense Septemb. Anni Æræ Christianæ 1634.

RR. & EE. VV.

devotè officiosissimeq; colens

LAURENTIUS EICHSTADIUS D.

Sempiternâ memoriâ incomparabilis
Generosissimi Dni.

TYCHONIS BRAHE

laudes & labores
sonanti & usurpanti

Dno. D. LAVRENTIO EICHSTADIO.

Sub cœlo cœlum meditamur, an invidet ullus,
Grata poli cui non, sed potiora soli?
Cura vetustatis tam sedula, promta benignæ,
Veri aliena licet cognitione Dei,
Emicuit si quid rarum, ipso nomine carum,
Mox voluit stellas inter habere locum.
Ætas TYCHONEM novisset prisca BRAHEUM,
Prona giganteum continuasset opus:
Non Lyra, non Orpheus, loca non defenderet Ursa,
Singula fallaci structa supercilio,
Ipse coruscaret TYCHO, cessisset Orion,
Nec pietas studiis inferiora capit:
Nil genus & proavi, nec opes, nil vana voluptas,
Impedimenta operis perniciosa boni,
Non aulæ splendor, non munera larga Lyæi,
Subtrahere ingenio non meruêre dapes:
Æthere dignus obat mundo monumenta relinquens,
Infera neglexit, jam penetrat supera.
Expetii juvenis quondam subsellia, famæ
Rumor adumbrârat tam celebrem puero;
Forte SEVERINUS fratrem, sociumq; tulisset,
Non tamen indulsit temporis invidia.
Absentem flagrans venerabar, terram habitantem,
Illustrem scriptis ambitus orbis amat.
EICHSTADI, emerito pangis præconia laudum,
Sic tibi, sic illi certa trophæa paras.
Posteritas vestros non aspernata labores,
Æquivalens nescit pendere, in astra feret.
Sub cœlo cœlum meditemur, ut arbiter ævi
Suscipiat cœlo, qui patefecit iter.

Christophorus Albinus Ph. & M. D.

Ad

Virum Clariss. Excellentiss.

Dn. LAURENTIUM EICHSTADIUM

Med. D. & Mathematicum sæculi nostri præstantissimum, Reip. Sedinens. Poliatrum dignissimum, amicum meum plurimùm honorandum, & dilectum unicè.

Stroph.

Cedo mihi dia Vraniæ alas celeres,
Subnecte plantis talaria Zephyrisequa,
Vt relictis terrarum vallibus
Depressis, superator itinerum
Hominum pedi inviorum, poli eximia
Paradigmata intueri queam propiùs,
Nubisector levigyrus. Fallor, an amabilis
Me ludit insania? En ut cœli planicies
Smaragdini, fæcis expers, ac nebulositatis
Spissæ, sese oculis objicit specitandam
Liquidius! Horoscopi aream lacteis
Nepos Atlantis illuminat radiis,
Hospes leonis siderei. Secundam autem
Domum quàm nitidâ irradiat face
Jovis stella serenior! Cærulei in portâ
Septimâ palatii Venus aurea lætas
Choréas ducit, cœlestis adspergine ambrosiâ
Irrorata suaviter Amphoræ.
Nonam vero cuspidem quis non

Mire-

Miretur, Phryxéi velleris auró circum-
fulgentem latè, ac Noctilucæ albicante
Conſpicuam facie.

Antiſtroph.

At umbilicus ſiderei fornicis ut
Pulchrè eniteſcit! ſplendens ibi face roſeâ
Sol ſuperbit, complexus Pleiadas
Arctè lucivomas. Neq; Geminis
Sua proximis deeſt ſede in undecimâ al-
mities. Cronus bene illis cupit facilis,
Nec coruſcis phaleris Auroræ adeó roſcidæ
Cedens ſereni jubaris ſtricturâ, neq; queis
Micantibus fulget Orion radiis. Sed eccui
Tali ſtellimicans militat poſitu ac or-
dine polus aptê? tibi, EICHSTADI, nobile
Decus jubarq; ſæcli aureum. Hoc etenim
Sub ſchemate olim es vel ſimili editus vivas
In auras nitidâ haut ſine gloriâ
Virûm, quos venerabilis dîs ſuperis miſcet
Eruditio, ac ſoror ſcelerum jugo Virtus
Capiſtrari abnormi lēta. Nā cōvenit bene huic
Cum illâ. Fax ſolet tenebreſcere
Doctrinæ, lucem adminiſtram nî (ſtar,
De claro acceptet vultû Probitatis, Lunæ in-
Quæ obſcura eſt, fraternâ ſuum nî decus de
Lampade inædificat.

Epod.

Exſpectas jam, ut fata tibi inde ordinem
Augur haut vanus? verbo me expediam,
Sed quod Delphis, haut Sedini tibi putabis
Dictum, LAURENTI. Longævitas te manet
Robuſtior, ſiq; in laude ponēdum eſt, pinguior
Opulentia. Utrumq; exornabit ridens
Pulchricomâ Cypris nymphâ, cujus in
Pectore dico morum corona elegantiorum
Effloreſcit adfatim. Favens vero tibi pennis
Fama candidis immortale arrogabit
Nomen, inq; Olympi arces tollet beatas.
Et prómeres. Chiron enim velut alter
Hygeiæ in probrum natos exſtirpas feliciter
Ægrotantium dolores, velutq; Arctophylax,
Poli cardinem rotantis revolubilibus
Vertere gyris impiger, cœli momenta
Obſervas accuratê, juſtisq; ut eant porrô
Metæ curſibus, anniteris induſtrius.
Favent hinc rerum intelligentes omnes:
Amici applaudunt. Amicos inter niſi
Meum primus profitear nomen, & vervecum
In patriâ natum me dixerit quivis,
Et nihil habere humanitatis
Lepore cum ſuavi commercii.

Sedini Pomeranorum ſcribeb. olim die,
qui Laurentio D. eſt ſacer,

Juſtus Griſius, Ph. & Med. D. Nobilitatis
Ukero marchicæ Ordinarius.

Stroph.

Quid pulchrius ſiderei belluato
Cœli fornice, terræ faciem
Viridem ambiente, mariſq;
Alvum cæruleam? In illo
Nonne ſpatiantum admiraris
Senatum ſtellimicantem?
Gelidi ſcilicet falcem aſtricam
Senis? Jovis capillum candidi?
Rubentem Martis gladium? Dionæi
Riſum aſtri? Argiphontæ
Talaria lucida? rotæ aurigam
Solaris audacem? Noctilucæ choros
Silentes? Eidem ceu baltheo
Precioſo inſertos vides
Orionis pyropos, cryſtallos
Erygones, margaritas Ariadnæ,
Sapphiros Pleiadum, ſmaragdos
Nepheleidos, atq; urſæ topazios
Erymanthidos, ac ſexcentas
Nitidiſſimarum alias
Hinc-inde gemmas ſtellarum.

Antiſtroph.

Nec non ſoli aſtris ſcatet æquor ſuis. Nam
Cum mollis Zephyrus verna poli
Liquidi ſerena reduxit;
Ex campis viridicatis
Spargunt radios mille & mille
Renati verſicolores
Variê floſculi. Teucri hinc nitet
Ebur, roſæ ſuperbit purpura,
Coruſcat flos Lyſimachi: decorê illinc
Candet bellidis nix,
Vernat violæ ſaturitas, ſplendet

Lac argemônes. Narcissi ibi ardet cruor,
Thymi istic bonos, illic lychnidis
Jovialis fax. Nec queo
Cunctas censere baccas, queis horti
Almities lucidæ provocat ignes
Aulæ. Dant utraq; vitam & orna-
mina: sidera sanè Macrocosmo; agri
Nitidi Microcosmo flores.
Superiq; imago poli in
Terra infera gliscit speclo.
Epod.
Quàm te felicem animi ac beatum,
Nobilis EICHSTADI, Historia
Juxta ac suada corculum,
Quem & nitida suas Mathematice
Docuerit leges, & suarum
Florida Botanice
Stupenda opum miracula!
Hinc pharmaca miscendo
Docte utili a, hominibus
Sanitatem fulcis labantem,
Lapsam vero fundô ab imô
Hippocratem citas Vitruvius!
Illinc cœlestium vertigini rotarum
Certis mederis regulis, vagasq;
Fibulâ justâ coërces habenas,
Ne cespitent, exorbitentve enor-
miter. Macte, amice, macte!
Perenniclarum erit tibi nomen.
Et Chloris illud suis inscribet
Floribus, & æternis Uranie
Inseret olim astris.
Honoris ac
Amoris ergô olim F.
Primislaviæ
Justus Grissus D.

ANAGRAMMA

Ex nomine Viri Clarissimi & Excellentissimi

Dn. LAURENTII EICHSTADII Medicinæ Doctoris & Physici Stetinensis ordinarii, amici & fautoris sui colendi.

LAURENTIUS EICHSTADIUS

J, EN ES UT LAURUS, STA HICDIU.

ARte tuâ UT LAURUS, LAURENTI, florida flores.
Nomen & æternum conciliasq; tibi.
Quæ dudum MUSÆ tibi laurea serta pararunt,
Iam capiti, ut justum est, imposuêre tuo.
Doctoris titulos geris atq; insignia Phœbi,
Quæ dantur cultis non nisi ab arte viris.
Dotibus ingenij EN præstas & acumine mentis
ES medicus felix Astronomusq; bonus,
LAURENTI, J, laurum convince virendo comantem
EICHSTADI, ut quercus STA, precor, HICq; DIU.

Michaël Abelus, Pastor Cossinensis
fecit observantiæ ergò.

Monophyllum Anagrammaticum.

LAURENTIUS EICHSTADIUS

ἀναγρ.

Audis Laurus, & hîc nites.

Udis, *EICHSTADI*, Laurus. *Bene. Pulcher in orbe*
hîc & *ubiq;* nites, *laurus ut alta nitet.*
Aetherias tentasse domos Tibi namq; voluptas;
h. inc Tua fama volat docta per ora Virûm.
Te canit URANIE, magnus te laudat APOLLO,
Lauro nonne haec laus aequiparanda venit?
Aequiparanda venit lauro; immo perennis Olympum
dû reget URANIE, & pharmaca APOLLO dabit.

Obferebat
GEORGIUS Marggrafe/ *Liebstadio-*
Misnicus, Philo-Chymiater.

BENEVO-

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

QUum Joannes Keplerus, superiorum ordinum in Austria olim Mathematicus, Ephemeridas ad viginti continuos annos, exorsus ab Anno Epoches Christi 1617. & in A. Chr. 1636. desinens, secundum Tychonicas observationes & suas Tabulas Rudolphinas evulgaverit, consilium mecum inij, (dulcedine quadam, nescio an deceptus, certè captus imitandi sui) Ephemeridas istas ad quinque instantes annos, nimirum ad annum usque 1640. horis extraordinariis supputare & continuare, præsertim cum non essem nescius, dari quosdam, qui nobis novas Tabulas motuum cœlestium lubricis observationibus innixas pro Tychonicis volunt obtrudere & Canonibus Cœlestibus sociorum adjutorumq; Tychonis diligentissimorum tenebras offundere. Priusquam autem ad Pædiam harum Ephemeridum accedo, mihi de quibusdam, amicissime Lector, monendus eris, ut instituti mei rationem eò meliùs assequi possis. Primùm autem scito, hasce Ephemeridas ad meridianum Uranopyrgicum in freto Cimbrico (ubi nobilissimus Tycho usque in annum primum ac vicesimum siderum observationibus invigilavit) esse calculatas: siquidem reliquorum meridianorum differentia nondum eâdem diligentiâ, quam Tycho Brahe adhibuit in intercapedine sui loci à meridiano Alexandrino Ægypti, sub quo Ptolemæus, nec non Fruenburgico Borussiæ, ubi Nic. Copernicus suas τηρήσεις Astronomicas instituit, fuit pervestigata. Proindè quando certò constat ex Ephemeridibus hisce tempus alicujus Eclipsis, idq; etiam in alio Meridiano diligenter attentum est, tunc utriusque discrimen non poterit esse obscurum. Quâ de re etiam in capite de reductione Ephemeridum ad alia terræ loca agemus.

Porrò quod attinet ipsum Planetarum calculum, secutus sum in motu luminarium Tabulas cœlestes Astronomiæ Danicæ Christiani

S. Longomontani, Professoris Mathematum in regia Academia Hafniensi & olim Brahei per octennium in capiendis locis Planetarum vigilantissimi administri: easdem etiam Tab. in Epilogismo Eclipsium tàm Solarium, quàm Lunarium unicè propositas mihi habui: Deprehendi enim ex aliquot annorum diligentibus observationibus & subducto calculo obscurationum luminarium multorum retrò seculorum, in ijs nullam ferè sensibilem differentiam ab ipso cœlo & veterum animadversionibus occurrere: præterea ejus calculus non adeò est spinosus & perplexus in deliquijs ☉ & ☽, veluti Kepleri, qui etiam imminutionem Eclipsium solarium in hisce Borealibus locis satis notabilem non vult admittere, quam tamen Tycho & C. Severini ex aliquot earum diligentissimè observatis nacti sunt, eosque experientia fideliter docuit: undè & Severinus Lunæ semidiametrum in novilunio Ecliptico ob aeris crassitiem respectu nostrorum Septentrionalium locorum diminuit, in plenilunio autem dilatavit. Et denique meritò suus honos & locus huic Clarissimo laboriosissimoq; Viro manet, qui ultra octennium Tychonicis observationibus non tantùm interfuit, sed & maximam partem præfuit. Et cum motus Lunæ, à Dn. Origano ex Tabulis lib. 1. Progymnasm. Astronomiæ Tychonis ad Meridianum Francofurtensem Viadrinum supputatus, cum Astronomiæ Danicæ Tabulis satis præcisè conveniat, idcircò hîc mihi tantùm reductione ad Uraniburgicum per additionem sex minutorum in motu & duodecim subtractionem in tempore opus fuit. Et sicubi fortassis aliquod discrimen se ingerat: tamen hoc nullibi ultra quatuor minuta excurret.

Magna igitur pars ipsi Ephemeridi Origani sunt potius quam Besfondi.

In reliquis quinque Planetis conatus sum exprimere calculum Kepleri in suis Tabulis Rudolphinis exhibitum: omisi tamen illam scrupulosiorem rationem reductionis & curtationis, quæ magis prolixo & intricato, quàm utili compendiosoq; negotio ab eo planetarum motibus superaddita fuit, plusq; ingenij quam commoditatis obtinet. Quamvis enim libenter in hisce erronibus motum eccentricum & alium ab eo distinctum, commutationis orbis Annuæ Planetæ, respectu situs & elongationis Solis à terra agnoscam, Planetamque in suo annui orbis circulo modò ascendere, modò descendere inducar credere, cum & Severinus hanc hypothesin in motu Martis agnoscat, & ideò etiam reliquis vagis stellis assignanda sit, tamen observationes Tychonis ad hanc quoque scrupulosam subtili-

atem progredi, ut præter eccentricum motum & angulum ad Solem etiam hanc reductionis curtationisque rationem deposcant, neque Severinus deprehendit, neque animadversiones Tychonicæ comprobare videntur. Insuper etiam hæ Prosthaphæreses in motibus superiorum nondum unum minutum efficiunt, in Venere non quatuor: in solius Mercurij nondum adeò exquisitè cognito motu ea differentia interdum sextantem gradus excedit. Sed cum ipse Keplerus non ausit de motu Mercurij affirmare, quod ipsius calculus intra diei metam consistat, utique multò minus hasce reductiones curtationesque eum in debito puncto sistere posse asseverabit. Quamobrem intermissio hujus scrupulosioris limitationis hac in parte nihil sensibilis incommodi importabit. Præsertim cum Tabula Anguli pro Prosthaphæresibus Orbis in quinque Planetis Kepleriana, quæ part. 1. Tab. Rudol pag 20. & 21. extat, haut rarò plus adhuc ab exacto Planetarum motu respectu orbis annui exorbitet, quam prætermissio reductionis & curtationis Planetarum Keplerianæ, sicut cuivis periculum facienti obvium erit. Si quispiam tamen hasce subtilitates retinendas duxerit, non quidem super hac re cum eo litigabo; intereà calculum indè & hypotheses Tychonis parùm turbari sentiet. Locum autem superiorum Planetarum ad decimum quemque diem computavi: in Venere verò per quinque dies progressus sum: Sed in Mercurio, in quo magna reperitur varietas, præsertim quando stationibus propinquus est, per intermedios quoque dies, intra quinque, ad eliciendum verum ejus motum diurnum, longitudinem inquirere coactus fui. Tametsi verò me non adeò otio literario abundare ingenuè fateor, ut omnia hîc exquisitissimâ diligentiâ tractare pro voto potuerim, unde & in omnibus lynceus esse non potui, nec hosce Fastos motuum cœlestium omnibus numeris absolutos & perfectos venditare velim; tamen non dubito, Benevolum Lectorem non parvũ laborem diligentiamq; in condendâ hâc primâ Ephemeridum parte agniturum, dum primùm Tabulas Rudolphinas in commodiores numeros & instituto meo accommodatiores resolvere, postea ex ijs calculum ad calcem usque obstinatè deducere coactus fui. Quod si alij prodierint, me diligentiores, qui hunc laborem ad plures annos in typis publicis extenderint, ijsdem fundamentis Tychonicis inhærentes, libenter illis cedam, palmamq; concedam, sin minùs, dabo operam, ut in alterâ & tertia subsecutura Ephemeridum parte ad duas decadas subsequentium an-

Videatur Dissertatio [illegible] Horrocii ad Petrum Gassendum

 anno

norum, ultra terminum (in quo Dn. Origani Ephemerides desinunt) calculum in gratiam Astrophilorum subductum evulgem.

Hic autem non possum non commodare publicè Ingenuum ac doctum juvenem Casparem Marchium, qui mihi in promovendo calculo Astronomico fidus atque diligens fuit administer: consideravit enim ætatem suam studio sideralis scientiæ & Mathematico idoneam. Siquidem operæ pretium adolescentes faciunt, quando in florida ac vegeta sua ætate hisce intemeratis matheseos partibus diligentem navant operam.

Reliqua, quæ ad ubetiorem instructionem super hâc nova Ephemeridum forma necessaria sunt, certis capitibus inclusa jam in Pædia docebo.

EPHEMERIDVM

Pædia & compendiosa utendi methodus.

CAPUT I.

DE NOMINE, ET DEFINITIONE Ephemeridum, earumq; usu in genere.

ANtequam ad seriem dispositionemq; nostrarum Ephemeridum veniam, operæ pretium me facturum existimo, si in gratiam tironum in hac arte de Ephemeridibus in genere, earum naturâ & usu paucula monuero. Quocirca primùm sciendum est, quod Ephemerides sint rationes Astronomicæ motuum singulorum Planetarum ad meridiem cujuslibet diei anni propositi ex perpetuis cœlestium revolutionum canonibus supputatæ, quæ non tantum loca Erronum secundum longitudinem ac latitudinem, sed & Eclipses luminarium, usitatos aspectus & festos dies exhibent; ut Planetarum positus prænosci & effectus in inferiori natura notari pervestigariq; possint.

Vocantur autem Ephemerides latinis Diaria, item Calendaria: nonnullis Almanah, quæ vocula est Arabicæ originis, descendens ab arti-

articulo Al & radice מנח, quæ Horarium & Calendarium significat. De tabulis, ex quibus hæ Ephemerides exstructæ sunt, in præfatione dictum fuit: in hisce enim sideralis scientia tanquam in compendio continetur, atq; omnibus seculis non sine evidente certitudine applicari possunt, & collimant ad eum finem, ut inde cognitio motuum stellarum, anni motus & metæ, æquinoctia, solstitia, Eclipses, conjunctiones magnæ, & reliquæ Planetarum Syzygiæ petantur: Insuper etiam sese earum usus in Ecclesiam, Politiam, & Oeconomiam diffundit, ut nimirum Theologis Festorum dies & tempora, quibus diversi articuli fidei in Ecclesia explicantur, certò sint cognita & explorata, & ex iis rebus Politia cum privata vita decenter administretur. Ex hac quoque sapientissima matre Astronomia nata est stulta filia Astrologia, ob vanitates suas non æquè ab omnibus probata, quæ Effectus siderum in sublunaribus scrutatur, Calendaria anniversaria format, in quibus tempestatem & mutationes aeris ex positu Astrorum prædicit, Geneses quoq; & themata texit, atque ex iisdem de eventibus humanis judicat, artemque Genethliacam exercet.

Ob hosce fines Ephemerides, Tabulæque Astronomicæ potissimum expetuntur, quæ tamen etiam gloriam DEI, tanquam omnium artium liberalium primarium scopum, enarrant, nobisq; mortalibus sapientiam bonitatemq; CREATORIS commendant.

CAPUT II.

De serie ac dispositione cujuslibet Ephemeridis.

TItulus Ephemeridis cujuslibet ostendit annum, sive is sit Bisextilis sive primus, vel secundus, vel tertius à Bisextili, ad quem Diarium illud spectat: additus quoque est character istius anni in periodo Scaligeranâ, ex quâ Aureus numerus, Cyclus Solis, litera Dominicalis & indictio Romana colliguntur: deindè succedunt aliæ Æræ usitatiores, quæ cum anno incipiunt: item Aureus numerus, Cyclus ☉, lit. Dominicalis, indictio Rom. Epactæ, Intervallum minus in utroque Calendario, nec non ingressus Solis in quatuor puncta signorum Cardinalium ad Meridianum Uraniburgicum, tempus apparens stylumq; nostrum Veterem. Quod si etiam aliquis Luminarium defe-

ctus in nostro horizonte acciderit, præcipua calculi Eclipsis capita ex C. S. Longomontani Tabulis Tychonicis supputata, tempus apparens principij, medij ac finis, puncta seu digiti Ecliptici cum Schemate congruo exhibentur. In sequentibus pagellis semper spectantur duæ facies, dextera atque sinistra. In fronte sinistræ paginæ legitur nomen mensis & annus: posteà in linea descendente inveniuntur duæ columellæ initiales, quarum prior numerus Calendarium vetus apud nos usitatum, posterior novum seu Gregorianum; interjectum autem signum ☉ diem Dominicam, tanquam principium cujuslibet hebdomadis denotat. Dehinc octo cellæ majusculæ longitudini septem Planetarum ♄ Saturni, ♃ Jovis, ♂ Martis, ☉ Solis, ♀ Veneris, ☿ Mercurij, ☽ Lunæ & ☊ capitis Draconis in gradibus ac minutis sunt tributæ, præter Solem, cujus locus in secundis etiam positus est, ut exactè tempus ingressus ☉ in singula signa (qui & medium inter Planetas obtinet locum) constet, & Columella illa, quæ reliquorum Planetarum latitudinibus deservit, scrupulis secundis longitud. ☉ expleatur. In quo etiam signo quilibet Planeta versetur, Character signi supra positus commonstrat; illud enim signum vel est ♈ Aries, ♉ Taurus, ♊ Gemini, ♋ Cancer, ♌ Leo, ♍ Virgo: vel est ♎ Libra, ♏ Scorpius, ♐ Sagittarius, ♑ Capricornus, ♒ Aquarius, ♓ Pisces. Infra hæc signa sunt duæ literæ, G nempe & M. G gradus, & M minuta significat; in Solis motu etiam S ad secunda indicanda additur. Cujuslibet autem Planetæ motus verus hîc designatus ad meridiem diei & Meridianum Uraniburgicum refertur. In hisce Planetarum spatijs etiam consignatum est, quando Planetæ Retrogradi incipiunt, & quando iterum directi incedunt: Etenim Retr. significat Retrogradum, Dir. Directum significat. Quælibet quoque Planetæ cella, excepto Sole, qui per Gradus, Minuta & Secunda descriptus est, habet adjunctam aliam cellulam angustiorem, cui latitudo ipsius Planetæ inserta est, ita ut gradus (qui non citò mutantur) vel sint superpositi in fronte majori numero, vel interpositi: cellulæ verò sola minuta capiunt, præterquam in Luna, quæ singulis ferè diebus alium atque alium latitudinis gradum obtinet, unde in cellis latitud. ☽ tàm ejusdem gradus, quàm minuta inscripta sunt. Porrò literæ S. M. tàm in fronte columellarum latitud. quàm in ipsis columellis positæ ostendunt cujus plagæ sit quælibet latitudo: quarum litera S Septentrionalem, M meridionalem latitudinem indicat. Sed neque literæ A. D.

quarum

quarum illa aſcenſum Planetæ à Meridie in Septentrionem, iſta deſcenſum à Septentrione in meridiem notat, ſunt neglectæ, licet ferè fruſtra: nam id etiam ſine literis facilè cognoſcitur: quando enim meridiana latitudo diminuitur, aut Septentrionalis accreſcit, Planeta aſcendit in Septentrionem; ſin autem decreſcit latitudo Borea vel meridiana augetur, Planeta à Septentrione deſcendit in meridiem.

Dextera facies in tres diverſas Tabellas ſubdividi poteſt. Nam initiò prima & ultima cella vetus & novum Calendarium cum literis ſuis Dominicalibus, præcipuis feſtis mobilibus ac immobilibus & primarijs nominibus propriis ſuis diebus competentibus complectitur. Medium autem ſpatium Syzygias Lunæ cum ſex Planetis in ſex columellis continet. Habent autem Planetæ quinque præter Solem in hac facie ſubjectas ſyllabas Orient. Occid. quarum prima Orientalem à Sole Planetam eſſe, ſecunda Occidentalem ab eo indicat: poſtea ſequuntur Lunæ aſpectus cum Planetis antiquitùs recepti, ut ſunt: ☌ conjunctio, ✱ ſextilis vel Hexagonus, □ quadratus, △ trigonus & ☍ oppoſitio. Illi autem aſpectus tantùm ſunt ad integras horas earumq́; ſemiſſes ſupputati, præter ☌, □ & ☍ Solis ac Lunæ: has enim phaſes Novilunij, Plenilunij, primæ & ſecundæ Quadræ ad horas & minuta in tempore æquali ob uſum in Calendariographia exactiùs determinare placuit. Quando autem tempori reliquarum Syzygiarum Lunarium punctum eſt appoſitum cum hora, medietate horæ eam auget: unde puncta iſta horis quibuſdam non fruſtrà addita eſſe ſcito. Quomodo autem iſti aſpectus ex Tabula Hexacontadon ſcrupuloſiùs exputari queam, poſtmodum oſtendam. Deinde ſequuntur aſpectus Solis & Planetarum inter ſe in penultima columna, qui itidem ſaltem ad horas & ſemiſſes horarum ſunt expreſſi, ubi etiam veteres tantùm Syzygias retinere, novas autem diligentiæ Meteorologi computandas relinquere volui. Initium verò aſpectuum à meridie cujuſque diei numeratur & in meridie ſequentis diei per revolutionem diei naturalis ſeu viginti quatuor horarum terminatur. Et tantum de generali diſpoſitione harum Ephemeridum dictum eſto: reliqua, quæ ad ſpecialem earundem explicationem faciunt, in ſequentibus capitibus breviter quidem; ſed non inutiliter, perſequar.

CAPUT III.

De Calculo veri motus Planetarum & ingressus in quodlibet signum, nec non aspectuum Planetarum inter sese ad quodvis tempus, & Meridianum Uraniburgicum.

Quod omnium Planetarum motus ad duodecimam horam meridiei sit computatus, anteà dictum est: quia verò frequenter accidit, ut alicujus Planetæ longitudinem ac latitudinem extra hoc tempus velim cognoscere, idcircò præmittam hîc in gratiam tironum Astronomiæ Tabulam Hexacontadon seu Sexagenariam, cujus ope operatio commodè absolvi poterit. In hac autêm Tabula frons, latus sinistrum descendens & angulus communis diligenter attendantur: siquidem oblati numeri potissimum cum quæsito in illis partibus consistunt. Quamobrem tabula vel Canon Sexagesimorum sub A huc referatur.

Jam exerceamus tironem in aliquot exemplis, quem tamen Logistices aliquam cognitionem habere oportet: Cupio scire ingressum Solis in cardinale punctum Arietis ad Meridianum Uraniburgicum, ubi sedes fuit Astronomiæ instauratæ, & ad A. C. 1636. Ex Ephemeridibus igitur hisce constat, quod tempus introitus Solis in Arietem intra nonum & decimum Martij mensis cadat: excerpo igitur primùm longitudinem Solis ad decimum Martij, eidemq; longitudinem ad nonum subjicio, hanc ab illa subtraho, ut constet motus diurnus Solis

Martij	☉			
	G.	M.	S.	♈
10	0	30	11	
9	29	30	48	♓
	0	59	23	Motus diurnus Solis.

Factâ igitur subtractione existit motus Solis diurnus 0 grad 59, min. 23. sec. Deinde etiam quærendum est intervallum Solis ad meridiem noni Martij à primo puncto ♈, quod ex hac subductione innotescet

Grad·

Grad.	Min.	Sec.	
30	0	0	
29	30	48	
0	29	12	Distantia Solis ad meridiem 9. Martij à primo puncto arietis.

Jam tempus ingressus Solis in principium ♈ ex hac proportione colligitur, motus diurnus Solis 59. Min. 23. secund. dat viginti quatuor horas, quid dabunt viginti novem Min. 12. Sec. ?

Hîc pro 24. horis substituo sexaginta gradus, & 29. Min. 12. sec. per 59. Min. 23. sec. divido, hoc pacto

	29	1 1	3 6		
29	1 2	5 3	3 0	47	29. Gr. 30. Min. 11. sec.
59	23				
28	42	7			
	1 9	4 1	3 0		
		1 0	5 3	1 3	

Hi Gradus, Minuta & Secunda si in 24. horas per Tabulam Sexagesimorum ducantur, fiunt undecim horæ 48. Min. & 10. sec. ferè, ad quod tempus post meridiem Sol Uraniburgi die 9. Martij A. C. 1636. in primum punctum Arietis ingreditur.

Eodem modo etiam ingressus Solis in tropicum cancri ad eundem meridianum innotescet; quocirca ad eundem, ceu sequitur, operare modum:

Junij	☉ G.	M.	S.	
11	0	20	43	♋
10	29	23	37	♊
	0	57	6	Motus diurnus Solis.

Porrò ita pergo

Grad.	Min.	Secun.
30	0	0
29	23	37
0	36	23

Ex hisce cognitis talis fit ratiocinatio:

Min.57.Sec.6. dant 24 horas seu 60 gradus. Quid Min. 36 Sec. 23? Operatio per sequentem divisionem peragitur

	13	49	12	
36	23	12	42	48
57	6			
36	9	48		
	12	22	18	
		49	29	12

38 Grad. 13 Min. 52 Sec.
Quotum hoc in 24 horas ductum efficit tempus horarium sequens

Hor.	Min.	Sec.
15	12	12
	5	21
15	17	33

Proinde Sol ad diem 10. Junij S.V. in primum Cancri punctum sub Meridiano Uraniburgico intrat horâ à meridie 15 Min.17. Sec.33. Cæterùm præceptum de inveniendâ aspectus horâ circa hæc versatur, ut primùm videatur, quantum Luna vel alius leviorum Planetarum in Meridie quæsitum aspectum antecedente à corpore vel radio ponderosi abfuerit: considera etiam motum diurnum utriusque, quod si ambo Planetæ vel directi vel ambo retrogradi fuerint, minor motus diurnus à majori est subducendus; si verò unus directus, alter retrogradus fuerit, fiat aggregatum utriusque motus, ut cognoscas, quanta sit horum Planetarum appropinquatio ad horas 24. Nam quanta est horum numerorum proportio, tanta quoque est priùs inventa utriusque distantia ad horarium tempus, quo quæsita Syzygia contingit. Hæc operatio itidem per Canonem Hexacontadon perficitur, tempus autem, quod emergit, est medium seu æquale. In exemplis res fiet illustrior: In Ephemeride Anni Christi 1636. fit primus congressus Lunæ cum Jove intra diem 14. & 15. Januarij, ubi Jupiter est retrogradus, alter Planeta directus. Invenio igitur diurnum motum Lunæ 12. Grad. 43. Min. atq; Jovis scrup. 6. in præcedentia: Quare aggregatum ex utroque motu diurno erit superatio diurni motus, nimirum Grad. 12. Min. 49. Adhæc accipio differentiam locorum utriusque Jovis & Lunæ, quæ est 2. Grad. Min. 37. Si igitur hæc distantia divisa fuerit per superationem diurni motus, emerget tempus conjunctionis, in proportione sexagecupla, quod per 24. horas multiplicatum ostendet tempus, quo fiet ☌ ♃ & ☽.

	3	0	10		
2	37	12	34	38	12
12	49				
2	33	48			
	2	59	26		
		12	23	22	

Grad. 14. Min. 58. Sec.
Per 24. horas multiplicata fiunt

Hor.	Min.	Sec.
4	48	36
	5	23
4	53	59

Tempus antè nominatæ Conjunctionis Jovis & Lunæ.

Secundum exemplum esto ☌ ♂ & ☽, existente utroq; Planeta directo, quæ cadit intra 18. & 19. Januarij Anni 1636. cujus momentum scire gestio. Primùm ergò expendo diurnum motum tàm ☽ quàm ♂, subducendo locum utriusque ad diem 18. à loco diei seq. 19. Provenit igitur motus diurnus ☽ 11. Grad. 51. Min. & diurnus ♂ scr. 22. quæ subducta à Diario Lunæ, quia uterque eorum est directus, relinquit superationem diurni motus ☽ respectu alterius Planetæ 11. Gra. 21. Min. Deinde Distantia ☽ à ♂ ad meridiem 18. Januar. invenitur 2. Grad. 13. Min. quæ per priùs inventum numerum sunt dividenda.

	8	4	6		
7	13	7	42	24	37
11	29				
7	4	53			
	8	2	18		
		4	35	36	

Gr. 42. Min. 24. Sec.
Inde prosilit momentum ☌ ☉ & ♂ à meridie diei 18. Januar. numeratum, horarum 15. Min. 4. Sec. 58.

Par etiam est ratio in reliquorum Planetarum aspectibus indagandis: detur enim exempli loco investigandum tempus conjunctionis Saturni ac Mercurij, quod cadit intra nonum atque decimum diem Januarij, Anno Christi 1636, ubi ad Ephemeridas nostras uterque Planeta est directus, & motus diurnus Mercurij reperitur 1. grad. 22. min. Saturni 6. min. motus competens ergò relinquitur 1. grad. 16. min. distantia Mercurij à Saturno 10. min. factâ igitur operatione

1			
10	8	52	7. grad. 53. min. prodeunt, quæ ex-
1	16		hibent tempus ☌ ♄ ☿ in horis 3. no-
8	52		vem minut. 12. sec.
1	7	8	

Idem est operandi modus, ubi duo Planetæ existunt retrogradi. Quamobrem repetamus saltem in reliquis aspectibus tale exemplum, ubi alteruter est retrogradus & directus, sicut accidit in oppositione ♃ ♀, quæ in diem 26. Januar. ejusdem Anni S. V. incidit. Datur hîc motus diurnus ♀ 1. grad. 15. min. ♃ 8. min. aggregatum utriusq; motus 1. grad. 23. min. distantia ♀ à ♃ 11. min. Simili igitur, ut antè, operor modo

1			
11	19	9	7. grad. 57. min. emergunt, quæ in
1	23		24. horas ducta relinquunt 3. horas,
9	41		10. min. 48. sec. tempus ☍ ♃ ♀ post
1	18	51	meridiem diei 26. Januar.

CAPUT IV.

De Æquatione & Reductione temporis ob Solis obliquum ad conversionem diurnam incessum, & Meridianorum differentiam.

TYcho Braheus parte primâ Progymnasmatum in ultima restitutione cursus Luminarium, quæ in Bohemia Anno Christi 1600. peracta est, duplicem Æquationem diei naturalis, aliam in Sole, aliam in Luna, constituit: Illam à Solis inæquali motu diurno, hanc ab obliquitate arcuum Eclipticicæ, cum æquatoreis deducens. Verùm cùm adjutor ejus Christianus S. Longomontanus animad-

animadverteret, Eruditos adhuc aliquid in difficilima illa de motu Lunari doctrina Tychonis desiderare, & utramque Æquationem temporum in motu Solis ac Lunæ simul adhibendam, falsum esse: Idcircò ille lib. 1. Theor. cap. 2. in Astronom. Danica rationes attingit, quamobrem illa Æquatio temporis, quæ à Solis inæquali motu proficiscitur, abolenda, altera verò, quæ à Solis obliquo tramite ad Æquatorem provenit, retinenda, & tanquam Universalis recipienda sit: Nimium enim æquandi tempus acumen Observationes Astronomicæ non admittunt, & præterea, omisâ illâ scrupulosiore ac minutiore numerorum ratione, facilitas potiùs in tradenda doctrina Astronomica, sectanda, ut eâ allecti Astrophili majori studiô Astronomiam amplectantur. Hinc & triplicem illam Æquationem temporis, à Kepplero in Tabulis Rudolphinis pag. 32. propositam, negligimus, hâc unâ tabulâ Æquationis diei naturalis, ubi se Luna ad verum motum Solis in Ecliptica conformat, contenti. Huc igitur transferatur

☛ *Sub Litera B.*

Tabula AEquationis Diei naturalis tempori pro motu Planetarum limitando deserviens, cujus usus subscriptus est. Primi exempli locô esto Ingressus Solis in Initiale punctum ♉, ad diem 9. April. S. V. Anni Christi 1637. ubi datur motus ☉ diurnus 58. min. 18. sec. Elongatio verò ☉ à primo puncto ♉ 19. min. 20. sec. Quando igitur Ephemeris ostendit medium seu æquale tempus Introitus ☉ in ♉ ad horam 7. min. 49. sec. 18. post meridiem: ☉ verò tunc existit in 0. gr. 0. minut. ♉, apparet ex Tabula hac Æquationis 8. min. & 25. sec. huic tempori medio esse addenda, ut Apparens seu Usuale nostrum tempus emergat. Proindè, secundum tempus Apparens & Meridianum Uraniburgicum ☉ ad diem 9. Aprilis S. V. principium ♉ attingit, h. 8. min. 5. sec. 57.

Detur etiam Novilunium 15. diei Januarij Anni 1637. & quæratur, quô tempore Apparente illud factum sit? Ephemeris nostra medium tempus Syzygiæ ☉ & ☽ indicat h. 17. min. 32. post meridiem. ☉ verò tunc existit in 6. grad. 45. min. ♒, neglectis secundis: Colligitur ergò ex Tabula Æquationis tempus 9. minut. 38. sec. subtrahend. Unde accidere statuitur Novilunium propositum in Meridiano Uraniburgico hor. 17. min. 22. sec. 22. post meridiem, seu die 16. Januar. horâ antemeridianâ 5. min. 22. sec. 22. Quando etiam locum ☉ vel

alterius Planetæ ad propositum tempus Apparens ex Ephemeridibus hisce quispiam elicere cupit, necesse est, ut admonitum dictionum *Subtrahe* vel *Adde*, Apparens tempus ad æquale in Ephemeridibus usitatum reducatur. Veluti detur tempus antè nominatum h.17.min.22.sec. 22. diei 15. Januar. Anno Christi 1637. idque sit tempus Apparens. Cum igitur locum Solis inveniam in 6.grad.45. min. ♒, occurrit in Angulo communi Tabul. Æquation. tempus 9. min. 38. sec. addend. tempori apparenti, ut medium prodeat, quod est h. 17. min. 32, ad quod Locus ☉ invenitur in 6. gr. 45/31// ♒

Deinde aliam quoque temporis correctionem hîc attendere oportet, quæ est ob meridianorum differentiam: Quando enim ad diversa terræ loca â loco Ephemeridum, vel motus vel Aspectus Planetarum, vel tempora Eclipsium determinare volumus, ea temporum reductio in illis locis, quæ longitudine ab Ephemeridum loco distincta sunt, necessaria est. Quamobrem, ut Calculum harum Ephemeridum, quæ ad longitudinem Uraniburgi computatæ sunt, ad aliorum etiam locorum meridianos referamus, quærenda est differentia longitud. dati loci â longitud. Uraniburgi, quæ nihil aliud est quam arcus Æquatoris, inter utrosq; meridianos interceptus, qui in tempus commutandus est, ita, ut quindecim gradus Æquatoris uni horæ, totidemq́; scrupula uni horæ scrupulo tribuantur. Verùm ut ab hoc labore Astrophilos liberaremus, placuit, Catalogum insigniorum locorum huic Ephemeridium Pædiæ inserere, in quo jam supputata haberetur meridianorum differentia. Ad adornandum autem hunc Catalogum mihi inprimis contulit Catalogus locorum, qui in Astronomia Danica pag. 60. & in parte prima Tabul. Rudolphin. pag. 33. extat, nec non Tab. Geographicæ Hondij & Jansonij, quæ meridianorum differentiam & Itinerariam distantiam nobis præ reliquis satis accuratè exhibent, quibus & certas hodiernorum Mathematicorum observationes addidi. Quocirca non miretur benevolus Lector, si inter hunc nostrum Catalogum & aliorum Ephemeridistarum, etiam recentiorum e. g. Magini & Origani, nonnunquam enormem aliquam differentiam deprehenderit: Siquidem hîc Catalogus vel ex fidelibus Eclipsium observationibus, vel ex dimensionibus & distantia Itinerum, vel ex cognita altitudine Poli constructus est. Quibus adminiculis cum nostri antecessores sæpè destituti fuerint, non mirum est, aliquam dissensionem tàm in longitudine, quàm latitudine locorum occurrere, illosque interdum

enor-

enormiùs à longitudine ac latitudine locorum, in nostro Catalogo determinata, abire. Id quod ex paucis hisce subjectis Exemplis patebit. Nam varietatem locorum, tàm circa Poli Altitudines quàm Longitudines eorundem, passim attentus lector deprehendet. Lutetiæ Parisiorum elevationem Poli constituit Petrus Apianus in 2. part. Cosmogr. fol. 32. 47. gr. 55. min. quem & Origanus in Catalogo locorum secutus est. Maginus verò hanc unô gradu auget & 48. gr. 55. min. habet. Orontius Fineus in sua Protomathesi ponit 48. gr. 30. min. Vieta recentior 48. gr. 49. min. facit. Tabulæ Geographicæ Mercatoris & Piscatoris 48. gr. 39. min. posuerunt, quam latitudinem & Kepplerus in Catalogo locorum retinuit. Petrus Gassendus Anno Christi 1632. ex altitudine cordis ♌ meridiana & ejusdem declinatione Altitudinem Lutetiæ 48. gr. 50. min. invenit, quam antea ex Altitudine ☉ meridiana duobis minutis longiorem constituerat, sicut ex Epistolis ejus de Mercurio in Sole visô pag. 40. & pag. 8. constat. Proindè nos in Catalogo Locorum, Vietæ & Gassendi observationes propiùs sequimur & in Catalogo locorum ejus latitudinem 48. gr. 50. min. definimus. Idem Apianus Latitudinem Veteris Sedini Pomeran. 54. gradibus præcisè circumscribit, quam & Erasm. Reinholdus in Tab. Prutenicis retinuit. Origanus semisse gradus in Introduct. Ephemeridum facit breviorem, nec malè. Kepplerus eam constituit 53. gr. 36. minut, quam haut dubiè ex intercapedine milliarium inter Stetinum & VVittebergam, nec non inter Hafniam Daniæ, & utriusq; per fidas observationes cognitâ longitudine ac latitudine, quam ex nostro Catalogo Locorum

☞ *Sub Litera C.*

petas, deduxit: Stetinum enim Hafniam & VVittembergam interjacet, & medium ferè occupat locum, numeranturque secundum Utriusque Longitud. ac Latitudinem milliaria 60, inter Hafniam scilicet & VVittembergam Saxoniæ: triginta verò leucis Stetinum ab Utraque propemodùm recedit: Ita enim Palæo-Sedino Pomeran. relinquuntur 53. gr. 36. minut. ferè, vel exactius 53. gr. 35. min. Ego verò jam aliquoties per Quadratum Geometricum, & Sextans Instrumentum Tychonicum ex observatis altitudinibus meridianis tam ☉, quam reliquarum stellarum accepi altitudinem Poli Stetinensis modò 53. grad 28. min. modò 53. gr. 29. min. Numerum autem rotundum in determinatione latitudinis Stetinensis, videlicet 53. gr. cum semisse, assumo

& reti-

Vietana observatio diem æquinoctii nominat, locorum solis ad minuta non determinat sed tempus æquinoctii quod tamen fuit necessarium cum in singulas horas declinatio mutetur.

& retineo, cum ad eam prope accedat, & ante me Origanus aliquot Tabulas huic Latitudini accommodatas construxerit, quas infra etiam locupletatas adducam, ita ut Latitudo Sedini Veteris in Pomerania verior sit 53. grad. 30. min. quam 53. gr. 36. min Quod Longitudinem ejusdem loci, seu differentiam meridiani Stetinensis & Uraniburgici, attinet, deprehendi ex observatis phasibus lunaris Eclipsis ad Annum Christi 1624. & 1634. ut & ex accuratè satis agnito initio Eclipsis Solaris ad Annum Christi 1630. & 1631. Sedinum vetus esse per octo minuta Uraniburgô, sede Astronomiæ Tychonicâ, orientalius: Phases enim Eclipsium hic Sedini semper per hoc tempus tardiùs accidisse, quàm Calculus eas ad meridianum Uraniburgicum significavit. Unde & sequitur, Francofurtum ad Viadrum etiam tantùm in Longitudine per octo minuta temporis â meridiano Uraniburgico variare, cum tractus Stetinensis & Francofurtensis uni Meridiano sit subjectus: Origanus quidem in Catalogo locorum hanc differentiam facit 12. minut: sed fidæ observationes, Itinerumque distantia adeò amplam non admittunt. Maginus etiam Venetiarum urbem in Supplemento Ephemeridum pag. 16. ac pag. 299. per undecim min. temporis Uraniburgô facit orientaliorem: At certæ Observationes Eclipsium Lunæ ad Annos 1616. & 1617. Romæ habitæ docuerunt, Romam & Uraniburgum sub eundem ferè cadere Meridianum: Proinde Venetiarum Urbs non ultra duo minuta poterit esse Uraniburgo Occidentalior. Sic & Latitudinem Montis Regij in Prussia Cosmographia Apiani & Gemma Frisius ponunt 54. gr. 17. min. Longomontanus 54. gr. 21 min. Kepplerus 55. gr. 8. min. Verùm Tycho Brahe testatur, pag. 75. Epistol. Astronomicarum, se unum è suis domesticis (cujus & mentionem facit lib. 1. Progymnas. pag. 34. & Longomontan. parte alterâ Astron. Danicæ pag. 39.) misisse in Borussiam ad explorandam Elevationem Poli Montis regij, dum ita scribit: *Atq; ex altitudinibus Solis, stellarumq; illic multoties acquisitis deprehenditur Regiomonti Prussiæ elevatio Poli gr. 54. min. 43. proximè,* quam & nos in Catalogo locorum retinuimus.

Porrò cum etiam ex Observationibus Artificum in Astronomia, Brahei nimirùm & Copernici, Longitudo ac Latitudo Uraniburgi in Dania atque Fruenburgi in Borussia nota sit, sicut eam Catalogus locorum in nostra Pædia suppeditat, & insuper Latitudo Montis regij, atq; distantia inter Fruenburgum, Montemq; regium per decem milliaria Germanica, elicitur juxta propositionem ultimam lib. 4. Joan. Regiomontani

montani vel 3. lib. 5. ejusdem de Triangulis. Copernici verò 13. & per problema tertium Geographicum Pitisci Longitudo Montis regij 46. grad. 35. minut. quam in Catalogo civitatum numero rotundo 46. gr. 30. minut. astrinximus. Datur itaque differentia temporis inter Uraniburgum & Montem regium 39. minut, per quæ Mons regius Huenâ Insulâ Orientalior est. Cæterùm, cum adhuc hæc Geographiæ Pars accuratâ quadam restitutione, ceu Snellius in Eratosthene Belgico, alijque complures Geographi hac de re conqueruntur, indigeat, optandum sanè esset, ne potentes terrarum dominatores inter alias necessarias curas etiam hanc abjicerent, ut, præstantibus Artificibus huc illuc missis, diligentes observationes cœlestes colligerentur, quò factâ collatione tandem vera differentia Meridianorum innotesceret. At cum & nostri antecessores jam sæpius surdis Dynastarum auribus hanc cantilenam cantaverint, præstat, Doctos diversis in locis pro concessis mediis & apparatu Instrumentorum curam in hâc re adhibere, & licita sibi conquirere adminicula, ut progressu temporis certior de differentia Meridianorum cognitio habeatur.

Reliquum nunc etiam est, ut aliquid de dispositione ac Usu nostri Catalogi locorum in medium afferamus. Quatuor igitur ei insunt numerorum ordines. Primus Latitudines, Secundus Longitudines in gradibus ac minutis; Tertius differentias Meridianorum; & denique quartus titulos Additionis in Orientalibus, Subtractionis in Occiduis locis, respectu Uraniburgi, exprimit.

Usus autem primarius & proprius nostri Catalogi est, ut futuræ alicujus Eclipsis in Ephemeridibus nostris computatæ, ut & Aspectuum & conjunctionum tempora ad alios Meridianos, præter Uraniburgicum, transferri possint. Et tunc tituli differentiæ Meridianorum additi debent observari: Nam titulus A. adjicit differentiam tempori per calculum invento. Titulus S. subtrahit differentiam à tempore in Ephemeridibus consignato, quia Orientales plus temporis, Occidentales minùs numerant. Veluti quæritur, quando Eclipsis ☽ seu Plenilunium Eclipticum incidens juxta calculum Tychonicum Uraniburgi in 27. diem Januar. S. V. Ann. 1636. horam pomeridianam 11. minut. 17. secund. 34. in Stetino Veteri Pomeran. accidat. Et quia Stetinum Vetus Uraniburgô per 8. minuta temporis Orientalius est, addo juxtà tituli significationem differentiam repertam tempori Plenilunij in Ephemeridibus proposito, & relinquitur tempus, quô contingit

in Sedino Veteri Pomeran. die 27. Januar. h. 11. min. 25. ſec. 34. Si verò hoc tempus ad Meridianum Salamancæ Hiſpaniæ, ubi eſt Academia, volo reducere, tunc juxta noſtrum Catalogum differentia 1. hor. 12. min. in Ephemeridibus reperto tempori addenda, & hâc ratione fit, ut numerus 12. horam ſuperans faciat Eclipſin in ſequentem diem incidere, videlicet in diem 7. Febr. S. N. ſeu 28. Janu. S. V. o. hor. 29. min. 34. ſec. ante merid. Hieroſolymæ verò 1. hor. 33. min. 34. ſec. ante merid. Si verò major numerus jubeatur ſubtrahi à minore temporis Uraniburgici, tunc diei antecedentis horæ 12. vel etiam 24. aſſumendæ ſunt, ipſumq; Phænomenon in præcedentem rejicitur diem. Idem monitum literarum quoq; in reducendo tēpore Ingreſſus ☉ in nova ſigna ad alia loca ſequendum eſt. e. g. Ephemeris Anni 1636. oſtendit Ingreſſum Solis in primum punctum ♈ ad hor. 11. min. 48. p. m. hinc ille ingreſſus Stetini cotinget hor. 11. min. 56. Lutetiæ verò Pariſiorum hor. 11. min. 8. p. m. In Ninive verò Aſſyriæ (ſi adhuc ibidem civitas quædam invenitur) die 10/20 Martij h. 2. min. 43. ante merid. Liſibonæ verò in Portugallia die eôdem hor. 1. min. 14. ante merid. & Quinſai in Chinarum Metropoli die eôdem 10/20 Martij. hor. 7. min. 28. ante meridiem. Eadem temporis ratio etiam locum habet, quando diligenter animadvertuntur congreſſus Lunæ vel reliquorum Planetarum cum Illuſtrioribus ſtellis fixis in Zodiaco, e. g. Anno Chriſti 1608. die 12. Februar. S. V. hor. veſpertinâ 8. min. 43. Clariſſimus Mathematicus Hafnienſis, Dn. Chriſtianus S. Longomontanus notabilem conjunctionem ſuperioris cornu ☽ cum Oculô Auſtrinô ♉ viſibiliter factam ſuô locô obſervavit, quam Excellentiſſimus Mathematicus VVitebergenſis D. Melchior Jœſtelius p. m. tribus ſcrupulis primis temporis ſerius, nempè h. 8. min. 46. p. m. conſpexit, ſicut præfatus Longomontanus lib. 1. Theoric. pag. 126. meminit: Unde colligitur, VVittebergam tribus minutis temporis Haffniâ eſſe Orientaliorem: Inter Uraniburgum v. & VVittebergam ex Eclipſibus antea animadverſis differentia duorum minutorum à Tychone & Jœſtelio præcognita fuit, quam & nos Catalogo locorum inſeruimus.

Secundarius verò Catalogi noſtri uſus eſt, ſi certum loci cujusq; tempus exhibeatur, ſub quo ſit obſervata ☽, debeasque, vel ob hanc obſervationem, vel propter aliam cauſam, computare locum ☽ vel alterius Planetæ ex hiſce Ephemeridibus ad Meridianum Loci oblati: Tunc enim differentiam temporis illius loci ex Catalogo decerptam adde tempori propoſito, ſi ille Locus Uraniburgô ſit occidentalior, contrâ

quàm

quàm jubent tituli A & S. quarti ordinis in Catalogo Locorum expressi: Nam cum Meridies Occidentalibus tardiùs accidat, paucioresq; horas numerent, quàm Orientales, idcircò Planetæ tempore ejus meridiei plus numeri in Zodiaco obtinebunt. Contrà verò, si tuus Locus Ephemeridum locô sit Orientalior, illam differentiam subtrahe à tempore oblato, eò quod, cum Orientalibus citiùs Meridies eveniat, pluresque horas numerent, quàm occidentales, minus numeri loca Planetarum in dicto Meridiano possideant, & tunc etiam contra monitum literarum A. & S. procedas. Veluti VVittebergæ, ut antea indicatum, congressus ☽ cum Aldebaran animadversus est die 12. Februar. h. 8. min. 46. post merid. Hoc tempus ad Meridianum Uraniburgicum reducens, offendo in Catalogo locorum sub VVitteberga differentiam temporis duorum minutorum, & adjunctum titulum A. Longitudinemq; ejus 37. gr. 15. minut. Uranibûrgi verò 36. gr. 45. minut. Unde colligo VVittebergam per duo minuta Uraniburgo esse Orientaliorem, cùm latitudo ejus superet Uraniburgicam. Proinde hæc 2. min. præfato tempori non addo, juxta monitum A, sed subtraho, & sic relinquitur tempus visæ conjunctionis ☽ & Aldebaran seu Oculi Australis ♉ in Meridiano Uraniburgico hor. 8. min. 44. p. m. antè nominati diei. Rursus fingamus nasciturum quendam in V. Sedino Pomeran. Calendis Januarijs Anni Christi 1637. præcisè hor. 12. meridianâ, ad quod tempus Locus ☉ in Ephemeride expressus invenitur in 21. gr. 44. min. 52. sec. ♑. Locusq; ☽ in o. gr. 30. minut. ♌. Ad reducendum autem hoc tempus ad Meridianum Ephemeridum Uraniburgicum consultâ Tabulâ Longitudinis & Latitudinis locorum in Stetino Pomeraniæ exhibet differentiam temporis inter præfatam civitatem & Uraniburgum octo minuta, quæ non juxta literam A, in Catalogo expressam, sunt addenda loco Nativitatis, sed potiùs subtrahenda, undè tempus ad Meridianum Uraniburgicum reductum evadit, hor. 11. min. 52, & cûm compendij causâ pro duobus scrupulis temporis differentiæ A & S. unum minutum motui ☽ & quinque scrup. secunda motui ☉ semper addere vel demere liceat, apparet, quòd tunc Sedini ☉ extiterit in 21. gr. 44. min. 32. secund. ♑. & ☽ in o. gr. 26. minut. ♌, non attentâ hîc æquatione. In reliquis Planetis hæc correctio ferè negligitur, nisi differentia Meridiani major quadrante horæ excurrerit. *Hâc occasione autem sub conclusionem hujus Capitis omnes Astronomiæ studiosos diligenter*

admonitos volo, ut ſeſe ſedulò exerceant in exactè venando tempore nocturnô, Cœlô exiſtente ſudô ac ſerenô, id quod commodè fieri poteſt, ſi ſibi idoneum aliquod Quadratum Geometricum, vel, ſi ſint lautioris conditionis, Sextans Tychonicum non ſolum graduum, ſed & minutorum capax fabrefieri curent; Prætereaq; habeant Αυτόματον μηχανὴν *ſeu horologium pendulum impulſu rotarum horas horarumq; minuta in debito puncto repræſentans. Si enim hoc ſemel per obſervationem altitudinis alicujus ſtellæ ſub noctem eſt exquiſitè correctum, tunc per aliquot ſuccedentes horas examuſſim minuta horarum indicare poterit. Si igitur aliquod Phænomenon noctu occurrerit, vel congreſſus aut tranſitus ☽ vel alterius cujusdam Planetæ, tunc invigilantes rebus cœleſtibus, illud momentum temporis, quô hoc Phænomenon accidit, accuratè notabũt, cum aliorum obſervationibus conferent, atq; ſic differentias Longitudinum locorum exactas conquirent, quem modum & antiquiſſimos Aſtronomos obſervaſſe legimus, & à Longomontano loco ſupra dicto commendatur, longèq; certior & facilior eſt, quàm ille alter, quem idem Longomontanus pag. 193. lib. 1. Theoric. ex ☽ mora circa 90. Eclipticæ gradum & diſtantia ejus ab aliqua fixa per Radium Aſtronomicum deducit: Nam mihi ille modus aliquoties periclitanti aliquot de cauſis lubricus viſus eſt, & Tycho lib. 1. Progymnaſm. pag. 672. Radij Aſtronomici fallaciarum argumenta indicavit, in quibus & ego acquieſcere cogor. Sic etiam legimus in Epiſtolis Dn. Petri Gaſſendi à pag. 34. ad 39. eum admodùm ſedulum ac induſtrium fuiſſe, in animadvertenda occultatione ♄ ac ♂ à ☽, in tranſitu ☽ prope ſtellam Ophiuchi, cujus impigritatem, curam & ſtudium ſi reliqui Mathematici iisdem ſubſidiis inſtructi imitarentur, Geographiam hâc in parte correctiorem propediem haberemus.*

(***)

CAPUT

CAPUT V.

De Syzygiis & Aspectibus Planetarum tàm veteribus quàm novis, cum adjuncta earundem Tabula.

QUinque Aspectuum genera hactenus ab Astrologis fuerunt recepta, & tàm in Meteorologia, quàm Genethliacis attenta ac approbata. Quando enim Planetæ inter se vel cum Stellis fixis in iisdem Zodiaci partibus & quasi punctis congrediuntur, conjunctionem celebrant. Sic ad diem $\frac{9}{19}$ Ianuarij Anni Christi 1636. fit conjunctio ♄ ☿ h.3. post merid. in 7. gr. 54. min. ♑, ceu ex Ephemeride istius anni patet. Deindè quando projiciunt radios Hexagonos per 60. gradus seu duo signa, Sextilem Aspectum faciunt, veluti ad diem $\frac{2}{12}$ Febr. ♄ & ♀ ✱ faciunt in 18. gr. 25. min. ♑ & ♓. Adhæc quando radios per 90. gradus seu tria signa completa miscent, Quadratum efficiunt. Sic ad diem $\frac{5}{15}$ Martij, ♄ & ☿ quadratum constituunt in 12. gr. 57. min. ♑ & ♈. Insuper, quando Planetæ radios inter se per 120. gradus seu quatuor signa communicant, Trigonum formant aspectum; Sic ad diem $\frac{6}{16}$ Jan. supra dicti anni 1636. ♃ & ☿ trigonum in 3. gr. 52. min. ♑ ♍ induunt. Denique, quando per semicirculum signiferi, h. e. per 180. gradus signaque opposita radios spargunt, tunc oppositionem figurant; sic ad diem $\frac{8}{18}$ Februar. fit Opposito inter ☉ & ♃ in 0. gr. 1. min. ♒ & ♍. Cœterùm cum Clarissimus Mathematicus olim M. Mœstlinus in quadam Disputatione de multiplici varietate motuum cœlestium ostenderit, præter Triangulum, Quadrangulum, Sexangulum, alias insuper inesse regulares pulchrasque Circulo figuras, formandis Aspectibus peridoneas, utpote, Quinquangulum, Octangulum, Decangulum &c. Hinc Dominus Kepplerus, Excellentissimus, Sagacissimusque Mathematicus, diligenter hæc principia ruminando, & simul tempestates observando, in suo Mysterio Cosmographico, & in libro Harmonices mundi, veteribus hosce Aspectus novos, in Harmonica figurarum regularium proportione fundatos, addidit, nimirum vigintilem, qui est intra distantiam 18. graduum, Quindecilem, 24. grad. Semisextum seu Sesquadrum, qui est intra distantiam unius signi seu triginta graduum, decilem 36. grad. Semiquadratum intra distantiam 45. grad. Quintilem 72.

grad. Tridecilem 108. grad. Biquintilem seu Trioctilem 144. gr. & Quincuncem 150. grad. Cum autem postea animadverteret, alios horum Aspectuum esse in incitanda aura sublunari validiores, alios debiliores, idcircò, Quintilem, Tridecilem, Biquintilem & Semisextum (qui ex duodecangulo fluit) reliquis prætulit, in ijsque substitit: Decilis enim semisexto vicinus est, & Quincunx Biquintili. Hinc obscurior est horum Aspectuum vis ad alterandum aerem, & reliqui quoque, præter hosce jam dictos, sunt saltem secundarij, & hinc etiam ad movendam auram invalidiores. Quamobrem & nos hosce novos aspectus in Planetarum configurationibus non quidem ad horas & scrupula, sed tantùm ad dies more veterum Ephemeridistarum indicavimus: siquidem aliquid quoque labori atque industriæ Calendariographorum & Astrophilorum relinquendum erat, qui etiam horas horum Aspectuum computare & addere poterunt, eô modô, qui supra capite tertiô traditus est, quemque in nonnullis Exemplis repetere me non pigebit. Veluti incidit in diem $\frac{6}{16}$ Januar. Anni 1636. Semisextus ♄ ♀, quando tempus exquisitè in horis & minutis scire cupio, tunc primùm excerpendus est motus diuturnus Utriusque Planetæ, qui hic est unus ab altero subtractus 1. gr. 8. min. Distantia ♀ â 30. grad. 1. gr. 1. min. unde talis nascitur proportio; 1. gr. 8. min. dant 24. hor. seu 60. grad. quid dant 1. gr. 1. min. ℞. 21. horas 32. min. Quare accidit hic Semisextus ♄ ♀ ad diem $\frac{6}{16}$ Januar. horâ â merid. 21. min. 32. in 7. gr. 38. min. ♑ ♒. Sic ad diem $\frac{10}{20}$ Januar. eveniet Tridecilis ♂ ♀ qui est distantia 108 grad. Motus diurnus utriusque Planetæ est 1. gr. 1. min. Distantia ♂ ab 108. gr. est 18. min. hinc prodeunt 7 hor. 5. min. Itaque hic Tridecilis ♂ ♀ continget die $\frac{10}{20}$ Januar. Anni Christi 1636. hor. 7. min. 5. in 23. grad. 57. min. ♎ & 11. gr. 57. min. ♒. Porrò ad diem $\frac{12}{22}$ Februar. fiet Quintilis ♄ ♀. Motus diurnus utriusque Planetæ habetur 1. gr. 9. min. Distantia a 72. gr. 32. min. Ergo Quintilis ♄ ♀ incidet in hor. 11. min. 8. diei duodecimi Februar. post merid. in 11. gr. 22. min. ♑ & 23. gr. 22. min. ♓. Denique conspicitur etiam ex Ephemeride præfati Anni, quod ad meridiem diei $\frac{11}{21}$ Martij se sistat biquintilis ☉ & ♂ in 5. gr. 31. min. ♏ & 29. gr. 31. min. ♓. Hôc igitur pactô horum aspectuum momenta â Calendariographis indagari poterunt: mihi enim tempus, quod pretiosissimam rem æstimo, redimendum fuit.

et [illegible]

In ☽ Syzygiis hosce novos aspectus non attendimus, cùm ☽ ob suum concitatissimum motum ab hisce exiguos possit sentire stimulos,

los, & alioquin etiam reliqui Aspectus parùm eandem ob causam ad mutationes auræ inopinatas & repentinas conferant, nisi & reliqui Planetarum aspectus juvent, quâ de re in ultimo agam capite. Jam placet subjicere Tabulam Aspectuum veterum & novorum, ut illam Astrophili in conspectu habeant.

Tabula ASPECTUUM *vet: & novorum.*

Charact.	Nomina ASPECTUUM	Distant. Sig.	G.	In Phasibus ☽
☌	CONIUNCTIO	0	0	☌ Novilunium ☽ nova
	Vigintilis		18	
	Quindecilis		24	
SS.	Semisextus	1	0	SS.
	Decilis		36	
	Sesquiquadratus		45	Corniculata seu falcata
✱	SEXTILIS	2	0	✱
Q	Quintilis	2	12	Q.
□	QUADRATUS	3	0	□ Quadra Semiplena
Td	Tridecilis	3	18	Td
△	TRIGONUS	4	0	△ Gibbosa
Bq.	Biquintilis	4	24	Bq.
☍	OPPOSITIO	6	0	☍ Plenilunium
	Quincunx	5	0	

CAPUT

CAPUT VI.

De Fixarum longitudine & latitudine ad quodlibet tempus inquirenda, ob conjunctiones Planetarum cum iis, Lunæq; transitus per Fixas.

EX Tychonica Tabula Longitudinum & latitudinum fixarum centum insigniores stellas, tàm intra quàm extra latitudinem signiferi existentes, excerpsi, earumq; loca Anno Christi completo M. DC. XL. accommodavi, non tantùm, ut constaret tempus, quando luminare noctis fixam tegere vel proximè attingere posset, ad investigandas locorum Longitudines; sed & ad Ortus earum & Occasus cum Sole atque reliquis sideribus inquirendos, ut & configurationes Planetarum cum fixis cognoscendas: Siquidem ad Meteorologicas observationes non parùm faciunt Conjunctiones, Ortus & Occasus mobilium cum immobilibus stellis, sicut hoc pluribus cap. ultimô hujus Pædiæ trademus: Reliquos verò aspectus fixarum cum Planetis, quos J. B. Carellus Placentinus in suis Ephemeridibus 19. annorum proposuit, ad impellendam naturam sublunarem & movendas tempestates parùm posse fida Astrologorum documenta comprobant. Huc igitur spectant duæ istæ Tabulæ

☞ *Sub Litera D. & E.*

ex quibus centum insigniorum Stellarum Longitudines Latitudinesq; ad quodvis oblatum tempus explorari possunt, modò differentia annorum Julianorum ex Tabella E petita, à Longitudine fixæ ad annum Epochæ Christi completum 1640 subducatur, vel eidem addatur, prout annus quæsitus præcedit Annũ Christi 1640. vel sequitur. Veluti quæritur Longitudo & Latitudo meridionalis lancis ♎ ad periodum anni Juliani 4477. ubi ☿ die 30. Octob. matutinô tempore visus est Alexandriæ prope hanc Stellam, sicut Ptolem. lib. 9. cap. 7. magni operis testatur. Ex Tychonis abaco Longitudo ejus stellæ erit Anno Christi M.DC. XL. sive periodi Juliani incipientis 6354. in 10. grad. 5. min. ♏. Intervallum hujus periodi & 4478. efficit annos 1876. quibus congruunt anni motus fixæ ex Tabella E, ferè grad. 26. min. 34. qui deducti de grad. ♏ 10. min. 5. relinquunt verum locum Lancis Austrinæ ♎ ad Annum factæ Observationis ☿ Chaldæorum 75. Annum Nabonass. 512. & annum

mundi 3713. in 13. gr. 31. min. ♎. A quo loco tunc nec ☿ procul abfuit. Et cum in Latitudinibus fixarum tot seculorum decursu parùm mutatum deprehendatur, idcircò & Latitudinem Lancis A. ♎ in præfata Tabella D. inventam, quæ est o. grad. 26. min. Borea, isti tempori applicare possumus. Eôdem modô, si Cordis ♌ locus petatur ad annum Christi M.DC.XXXVI. diem $\frac{12}{22}$ Januarij, ubi ☽ hor. 13. min. 40. post merid. hanc stellam propemodùm attinget, deductis 4. minutis de 24. gr. 51. min. ♌, qui situs est Cordis ♌ Anno Christi M. DC. XL. remanebit gradus ♌ 24. minuta 47. Quamobrem circa illud tempus transitus ☽ per Cor ♌ animadverti poterit. Quid verò doctrina Parallaxium ad exactè cognoscendum tempus conjunctionis ☽ cum fixa juvet, in residuis nostrarum Ephemeridum partibus ostendemus. ♃ quoq; eôdem annô Christi circiter 9, 10. & sequentes aliquot dies mensis Aprilis non procul ab hac stella, quæ etiam Regulus & Basiliscus vocatur, observari poterit: Dirigitur enim tunc in 25. gradu ♌ propè. Quod si ad eundem annum positum Spicæ ♍ cognoscere aveo, pari modô procedendo Aristam seu spicam ♍ in 18. gr. 46. min. ♎ deprehendo, ad quem locum & ♂ die $\frac{8}{18}$ Maij, ut & die 26. Maij seu 5. Junij dicti anni 1636. pervenit, ubi & tunc ejus situs ab Astronomis notandus erit. Non igitur hìc fixæ, cum valde efficaces, cum Planetis congredientes, sentiantur, prætereundæ erant.

CAPUT VII.

De tempore Ortus & Occasus Solis, quantitate diei ac noctis, nec non de Culminatione, Ortu atquè Occasu omnium Planetarum tum per se, tum cum fixis insignioribus sub Latitudine Poli Paleo-Stetinensi Pomeran.

CUm Sol sit temporum & ipsorum etiam siderum, cœlique rector, teste Plin. lib. 2. cap. 6. Idcircò operæ pretium faciemus, si hôc Capite methodum investigandi non solum tempus Ortus & Occasus Solis nec non quantitatis diei ac noctis; sed & reliquorum Planetarum declaraverimus, & quomodò insuper Ortus,

Occaſus & Culminationes Planetarum cum fixis cognoſcantur, quæ notitia in Calendariographia & civili vita ſuos habet uſus. Hanc verò methodum hâc vice ſub Elevatione Poli 53.gr.30. min. qualis proximè eſt in Veteri Stetino Pomeranorum: Reliquarum latitudinum modos in ſubſequentes Ephemeridum partes reſervantes, tangamus. Etſi enim propoſitio 19.lib.2. Theodoſij & 23.lib.2 Epitom. Almageſti Ptolemaici Autore Regiomontanô, & liber 2. revolution. Copernici cap. 7. & 8. multique alii recentiores Aſtronomi jamdudum docuerunt generalem modum inquirendi quantitatem diei ac noctis, nec non tempus Ortus atque Occaſus ☉: tamen nos id æquè facilè per Tabulam Aſcenſ. obliquarum Elevationi Poli noſtri accommodatam præſtare poſſumus, eô nimirum, ut ſequitur, modô. I. Tu primum conſule Tab. Aſcenſ. Obliquarum,

☞ *Sub Litera F.*

mi Tiro Aſtronomiæ, quam ad ſublevandum tuum laborem hîc propoſuimus: inde pete Aſcenſionem obliquam loci ☉ dati, Locique ejus oppoſiti, in competentibus gradibus ac minutis. II. Aſcenſionem obliquam loci ☉ circa tempus ortus ſui vel Occaſus ab Aſcenſione obliqua loci oppoſiti aufer, adjectô integrô circulô, ſi ſubtractio fieri nequeat, & remanet arcus diurnus ☉, qui per Tab.

☞ *Sub Litera G.*

in tempus converſus quantitatem diei monſtrat. III. Cognitam diei quantitatem biſeca, & habetur tempus occaſus ☉, IV. Hoc tempore Occaſus ☉ â 12. horis iterum ſubductô tempus Ortus ☉ relinquetur. V. Si verò quantitatem diei â 24. horis ſubtraxeris, quantitatem noctis in horis atque minutis perſpicies. VI. At cum ☉ propter refractionem quotidiè per duo ferè minuta temporis apud nos citiùs oriatur, & tardiùs occidat, ſicut id Nobiliſſimi ac ſolertiſſimi Tychonis Brahei Tabula Refractionum Solarium, quæ etiam noſtræ Regioni convenit, oſtendit. Idcircò tempus priori modô inventum adhuc ſub noſtra latitudine limitatione indiget, ita, ut ſemper duo minuta temporis auferenda ſint â tempore Ortus ☉, addenda verò duo minuta temporis Occaſui ☉, unde & quantitati diei 4. in ſuper minuta adjicienda ſunt, ut & exacta noctis quantitas prodeat. Exemplis res fiet illuſtrior. Geſtio ſcire quotâ horâ Calendis Januarijs Anni Chriſti 1636. ☉ apud nos oria-

oriatur? Solis locus tunc ad nostras Ephemeridas existit in 20.grad.48. min. ♑. Ascensio ejus obliqua datur ex tabula F.325. grad. 24. min. Ascensio obliqua loci oppositi, videlicet 20. grad. 48. min. ♋. est 79. grad.35.min. Elicitur igitur Arcus diurnus 114.gr.11.min. qui dat quantitatem diei per tabulam G. 7.hor.37.min. Tempus occasus ☉ illimitatum 3.hor.48/30.sec. Tempus Ortus ☉.8.hor.11.min.30.sec. Calendis ergò Januariis ad tempus limitatum secundùm præscriptum modum ☉ apud nos oritur hor.8.min.9.sec.30, qui & citra errorem tempus Occasus ☉ ostendit in 3.hor.50.min.30. sec. quantitatem diei 7.horar.41. min. ferè, & proindè quantitatem noctis 16.hor.19.min.

Aliud Exemplum. Sit investiganda Quantitas diei ac noctis, ut & tempus Ortus & Occasus ☉ circa Solstitium æstivum, quando ☉ in primo puncto ♋ versatur, sub eadem nostra latitudine. Ascensio obliqua ☉ in o. gr. ♋ datur in Tabula F.53.gr.58.min. Ascensio obliqua loci oppositi, nempè o.gr.♑, exhibetur 306.gr.2.min. Arcus diurnus ☉ 253.gr.4.min. quantitas diei illimitata 16. hor. 52. min. limitata verò 16.hor.56.min. & quantitas noctis exacta 7.horar.4. min. Tempus a. Ortus ☉ limitatum 3. horar. 32. minut & Occasus ☉ 8. hor.28.min. Qui instructus est Tabulis Directionum Joan. Regiomontani, juxta hanc methodum ad reliquas Poli Elevationes datas tempus Ortus & Occasus ☉, nec non quantitatem diei noctisque supputare poterit. Nos pergemus & hic etiam ostendemus, quomodò tempus culminationis, Ortus & Occasus reliquorum Planetarum & fixarum indagandum sit.

Primùm igitur ad cognoscendum tempus, quô aliqua Stella culmen cœli obtinet, subtrahatur saltem Ascensio Recta ☉ ad tempus æstimatum ab Ascensione Recta datæ Stellæ, residuus arcus convertatur in tempus horarium, & constabit tempus culminationis Stellæ.

Deinde ut inveniam quâ horâ diei vel noctis stella quælibet supra datum horizontem emergat, sit in promptu locus ☉ ad æstimatum Ortus stellæ tempus, eruaturque Ascensio obliqua ☉ ad nostram elevationem Poli ex tabula F, tempusq; Ortus ☉ ex ante dictis habeatur: Postea etiam sit perspectus Locus stellæ secundum Longitudinem & Latitudinem, ad quam ex Tab. Cœli Mediationum Regiomontani inquiratur Ascensio ejus recta, ut & ex Tabb. Declinationum Declinatio ejus competens gradibus atque minutis; Adhæc per tabulam Differentiarum Ascensionalium eliciatur Differentia Ascensionalis datæ Elevationi

tioni Poli respondens, quæ quando ab Ascensione recta, (si declinatio stellæ Septentrionalis sit) subtrahitur, vel eidem additur, (si declinatio stellæ Australis fuerit) efficiet Ascensionem obliquam Stellæ: Dehinc subduc Ascensionem obliquam Solis â data Stellæ Ascensione Obliqua, relictum arcum in tempus horarium muta per Tabulam G. idque adjice tempori Ortus ☉: Aggregatum erit tempus Ortus Stellæ, vel ante vel post meridiem, numeratum â tempore Ortus Sol. ad integram usque revolutionem diurnam 24. horarum: Ut a. id exactius habeatur, tempus illud, habitâ ratione refractionis stellæ vel Parallaxis in ☽, limitari poterit.

Tempus Occasus Stellæ hâc expeditissimâ quoque Methodô cognoscitur, si ☉ locô in Occasu constitutô, primum tempus occasus Sol. constet, post excerpatur ex Tab. F. Descensio ejus obliqua: Inquiratur quoq; Descensio obliqua Stellæ ad fictum tempus Ortus ejus, quæ datur, si differentia Ascensionalis (ejus declinatione Australi existente) addatur Ascensioni rectæ, vel ei dematur, declinatione Boreâ stellæ existente: sic enim emergit Obliqua ejus descensio. Quibus habitis subtrahatur Descensio obliqua Sol. à descens. obliqua sideris, & residuus arcus in tempus horarium vertatur, quod additum tempori Occasus ☉ dabit horam â meridie vel media nocte Occasus stellæ quæsiti, pro ratione intervalli arcus â tempore Occasus Solis Semper a. ratio habeatur quoque refractionis in Stellis, exceptâ ☽, cujus Parallaxis cum refractione ejus conferenda est.

Jam Exemplis aliquot allatis hæc Præcepta illustrabimus. Ad diem 6/16 Aprilis Anni 1636. cupio sub vesperam Instrumento aliquo Astronomico capere altitudinem ♃ meridianam. Ut autem sciam tempus culminationis ejus, per præfatas regulas mihi operandum est. Cùm ♃ à Sole per integrum ferè trigonum remotus sit, æstimo tempus Culminationis ejus fore circiter 8. vespertinam. Ad quam horam Sol existit in 27. gr. 19. min. ♈. ♃ vero in 25. gr. 0/ ♌ cum lat. Borea 1. gr. 16. min. Ascensio recta Sol. datur 25. gr. 21/ Ascensio verò recta ♃ 147. gr. 45. min. Illa ab hac subducta relinquit arcum 122. grad. 24/ qui exhibet tempus â merid. 8. hor. 10/ Quô tempore ♃ culminabit. Eadem quoq; est ratio investigãdi tempus culminationis fixarum. Nam ad idem tempus in Tab.

☞ *Sub Litera H.*

invenitur Ascensio recta Cordis ♌ seu Basilisci 147. gr. 14/ Hinc relinquitur Arcus horarius 121. gr. 53. min. ipsumq; tempus â meridie 8. hor. 8. min.

min. quô Cor ♌ culminabit. Ex hisce igitur patet, eôdem ferè tempore ♃ cum Corde ♌ culminaturum.

Sic & tempus Ortus Stellarum per præmissam methodum cognoscitur: Exemplo sit tempus Ortus ♄ ad $\frac{6}{16}$ Augusto, Anno 1636, ubi Sol oritur secundum tempus illimitatum hor. 4. min. 43. & versatur in 23. gr. 32/ ♌. Ascensio ejus Obliqua est 126. gr. 36. min. ♄ verô reperitur in 8. grad. 0. min. ♑, cum latit. Borea 0. gr. 27. min. Ascensio ejus recta est 278. gr. 41. min. Declinatio ejus Australis 22. gr. 49. min. Differentia verò Ascensionalis (ad nostram latitudinem loci 53. grad. 30. min.) 34. grad. 40/ addenda Ascensioni rectæ ♄, ut proveniat Ascensio obliqua ejus 313. gr. 21. min. Arcus residuus utriusq; Ascens. obl. est 186. gr. 45. min. qui dat tempus 12. hor. 27. min. addendum tempori Ortus Solis, & sic resultant 17. hor. 10. min. à quibus 12. abjectæ remanent 5. hor. 10. min. Ob refractionem verò adhuc duo minuta sunt subtrahenda. Hinc perspicitur, quod ♄ oriatur præfatô die $\frac{6}{16}$ Augusti anni 1636. hor. 5. min. 8. post merid.

Expeto etiam scire tempus Ortus ☽ post plenilunium ad diem $\frac{13}{23}$ Januarij, ubi existimo ☽ orituram circiter tempus 5. horar. 36. min. vespertinum. Locus Solis tunc invenitur in 3. grad. 26. min. ♒. Ascensio obl. ejus 334. gr. 16. min. Tempus ortus illimitatum hor. 7. min. 54. Locus verò ☽ in 21. gr. 11. min. ♌. Latitudo ejus Septentrionalis 0 gr. 13. min. Ascensio R. ☽ 143. gr. 39. min. Declinatio Septentrion. 14. gr. 41. min. Differentia Ascensionalis subtrahenda 20. grad. 45. min. & proindè Ascens. ejus Obl. 122. gr. 54. min. Arcus horarius utriusque Ascens. obl. 148. grad. 38. min. qui exhibet horas 9. min. 55. addend. tempori ortus Sol. & proveniunt 17. hor. 49. min. Ratione verô parallaxis per 2. minuta temporis refractionem ☽ excedentis, ☽ per duo minut. temporis tardiùs oritur, videlicet, h. 5. vespertinâ min. 51. Ad idem tempus volo quoque scire Ortum Aquilæ seu lucidæ Vulturis in horis & minutis. Hujus Ascensio Obliqua ex Tabula

☞ *Sub Litera I.*

elicitur, 282. gr. 21/ Arcus horarius utriusque Asc. Obl. fixæ & Solis 308. gr. 5/ qui dat 20. hor. 32. min. quod tempus additum ortui Sol. monstrat 4. hor. 26. min. Propter refractionem autem lucidæ adhuc duo minuta â dato tempore sunt subtrahenda, ita ut Aquila tunc oriatur hor. 4. min. 24. post mediam noctem.

Ad Occasus Stellarum præmissâ ratione pervestigandos rectè

quoque proceditur: Nam e.g. quærendum sit, quando ♀ die 1/11 Aprilis Anni 1636. post Solem occidat est enim tunc Occidentalis. ☉ tunc invenitur in 22.gr.24/ ♈. descensio ejus obl.32.gr.42/ Occasus ejus tempore illimitatô hor.6.min.48. ♀ autem existit in 23.gr.13/ ♉. cum latit. o.gr.46.min.Bor.Ascens.ejus R.est 50.gr.35/ Declinatio Septentr.19.gr. 22.min.Different.Ascens.addenda 28.gr. 22. min. Descensio obl. ♀ 78. gr.57.min.Arcus horarius inter utramque Descens. obl. ☉ & ♀ relictus est 46.gr.15.min.qui dat 3.hor. 5. min. Quod tempus conjunctum cum tempore Occasus ☉ efficit 9.hor.53.min. At propter refractionem duo insuper minuta adjicienda sunt. Hinc ♀ Calendis Aprilis occidet hor. 9.min.55.post merid.ubi & Inferior balthei Orionis, quæ cum ♀ æqualem ferè habet Descens.obliq. unâ occidet.

Aliud Exemplum. Ad ☽ Occasum cognoscendum die 29. Januar.S.V.vel 8.Febr.S.N. Anni 1636. æstimo ☽ sub Horizontem occiduum submersuram hor.6.min.48.Ad quod tempus ☉ datur in 19. gr. 38.min.♒ Descens. ejus obl. 300.gr.52.min.Occasus ☉ hor. 4. min.35. ☽ verò invenitur in 13.gr.24.min. ♓ cum latit.Septentr. 1. gr. 51/ Ascensio ejus R.344. gr. 1. /. Declinatio Septent. 4. gr. 50. min. Differentia Ascens.subtrah.6.gr.33.min.Descensio obliqua ☽ 337.gr. 28. min. Arcus interceptus inter utramque descensionem obl.36.gr.36.min. qui exhibet 2.hor.26.min. Aggregatum hujus temporis horarii & Occasus ☉ facit 7.hor.1.min. Sed propter excessum Parallaxis ☽ respectu refractionis ejus, duo minuta adhuc jam dicto tempori sunt demenda, ita ut ☽ occidat hor.6.min.59.post merid.

Aliud Exemplum in fixis. Ad diem 1/11 April. Anni 1636. ex Tab.L.capitur Descensio obliqua oculi ♉, seu Aldeboran 86.gr.8. min. Descensio verò obl. ☉ antè inventa est 32. gr. 42/. Arcus interceptus inter Utramque descensc.obliquam est 53. gr. 26. min. quibus respondet tempus 3.hor.34. min. quod additum tempori Occasus ☉ producit 10.hor.22./ At propter refractionem hujus fixæ hoc tempus adhuc duobus minutis augeo, ita ut Oculus ♉ tunc occidat hor. 10. min. 24. post merid. Sic ad idem tempus desc. obl. cordis ♌ datur 166. gr. 27. min.Arcus horarius est 133.gr.45.min.& tempus ejusdem arcus 8. hor. 55.min. Hinc colligitur cor ♌ tunc occidere post mediam noctem hor.3.min.45.

Cœterùm quod Ortum atque Occasum Planetarum, inprimis autem ☉, attinet, sciendum est, triplicem Ortuum & Occasuum differentiam

sententiam à recentioribus Astronomis constitui. Nam alius Ortus Cosmicus dicitur, qui ἐπιτολὴ ἑῴα ἀληθινὴ h. e. Ortus verus matutinus; Alius ἀκρόνυχος, qui est vespertinus verus; & tertius ἡλιακὸς, qui est Ortus matutinus apparens. Nos hâc vice saltem de duabus prioribus Ortuum & Occasuum speciebus agemus, tertiam in sequentes Ephemeridum partes rejicientes.

Ortus igitur Cosmicus verus est, (Græcis ἑῴα συναντολὴ ἀληθινὴ) quando stella una cum Sole, vel paulo post supra finitorem emergit. Occasus Cosmicus est, quando stella, Sole ex adverso oriente, infra horizontem deprimitur h. e. quando stella manè occidit.

Ortus Acronychus, qui & vespertinus dicitur, est, quando stella exoritur, ☉ occidente, hoc est, quando stella vesperi oritur. Occasus autem Acronychus est, quando stella una cùm ☉ infra horizòntem occidit, hoc est, quando vesperi cum ☉ occidit. Horum igitur inventio & consideratio ex cognitione gradus Eclipticæ, qui cum proposita stella supra finitorem assurgit, vel infra eundem deprimitur, dependet: Istô enim Eclipticæ gradu perspectô non latebit tempus anni, quo stella ipsa Ortu & Occasu Cosmico vel Acronycho se sistet. Quomodò verò Ascensio vel Descensio obliqua stellæ pervestiganda sit, modò traditum est. Nos ad minuendum hunc laborem Astrophilis construximus duas tabulas

☞ *Sub Litera M. & N.*

ad facilè indagandos Ortus atque Occasus Cosmicos nec non Acronychos centum stellarum fixarum insigniorum, qui sese ad duo secula ab Anno Christi 1600. incipiendo & in Anno Christi 1700. desinendo, extendunt, atque Elevationem Poli Sedinensis respiciunt.

Usus harum tabularum iste est: Quæratur in iis stellæ Palilicii Ortus matutinus ac vespertinus cum ☉ in Tabula M. Hæc ad Annum Christi 1600. completum ostendit Ortum ejus cum ☉ in 16. gr. 59. min. ♊ Ad Annum autem Christi 1700. in 18. gr. 9. min ♊. Differentia est 70. minut. de qua pars proportionalis in completis 35. annis sumitur, & emergunt 24. minut. ita, ut cum stella Palilicij ad Annum Christi 1636. in Horizonte Stetinensi oriatur grad. 17. ♊ & 23. min. in Ecliptica: Unde ☉ ad hunc gradum perveniente, quod fit die 29. Maij S. V. vel 8. Junij S. N. Palilicium orietur Cosmicè. Rursus ☉ existente in opposito loco, videlicet, in 17. gr. 23. min. ♐, quod fit circiter diem 29. Novemb. S. V. vel

diem

diem 9. Decemb. S. N. Palilicium veſperi ortu Acronycho ſupra horizontem aſſurget.

Porrò ut gradum ſigniferi deſcendentem cum Palilicio perquiram, ingredior tabulam N, ex quâ colligo Gradum Eclipticæ occidentem 28. min. 56. ♉ Quamobrem Sole illuc commorante, quod fit circiter $\frac{8}{18}$ Aprilis Anni 1636. Palilicium occaſu Acronychô cum Sole ſubmergetur. Contrà Sole verſante in 28. gr. 56. min. ♏, quod accidet circiter diem $\frac{10}{20}$ & $\frac{11}{21}$ Novemb. ejuſdem anni, Palilicium manè occidet Coſmicè. Hunc in modum ſtellarum Ortus atque Occaſus ad plura ſecula extendi & diduci poterunt.

Quod ſi etiam reliquorum Planetarum Ortus & Occaſus matutinos ac veſpertinos cum fixis perſcrutari volumus, tunc ad ſuprà dictum modum utriusque ſideris mobilis & immobilis aſcenſio vel deſcenſio obliqua eſt inveſtiganda, quæ quando inter ſe convenit, tunc Planeta cum fixa vel orietur vel occidet. Paulò enim antè in ♀ habuimus exemplum, quæ ad diem $\frac{1}{11}$ Aprilis cum inferiore Balthei Orionis hor. 9. min. 55. ſub Elevatione Poli Stetinenſis occidet: quippe utriusq; ſideris deſcenſio obliqua propemodùm coincidit. Plura Exempla hîc coacervare non opus eſſe cenſeo: Ad præſcriptam enim methodum diligens Aſtrophilus hæc & alia formabit. Nos igitur ad Ultimum Caput properamus.

CAPUT ULTIMUM.

De Prognoſtico mutationis aëris & tempeſtatum tàm generali quàm Speciali.

REgulas decernendi aeris mutationes quidam Aſtrologi ex figura introitus Solis in ſigna cardinalia & lunationum judicio ſpeciali petunt, ex quo partes frumenti, vini, olei, mortis & peſtis &c. quærunt, hasque regulas in præceptis & obſervationibus Ptolemæi fundatas eſſe exiſtimant. Verùm cum in Ægypto, ubi præfatus Ptolemæus degit, raræ ſint pluviæ atque tempeſtates, & non niſi in ijs locis, qui mari vicini ſunt: Idcircò hiſce placitis Ptolemaicis fidendum non eſt, præſertim cum Obſervationes Aſtronomorum in Germaniæ Climate, jam ultra ſeculum habitæ, hujuſmodi regulas fallaces eſſe

esse deprehenderint, diligenterq; inculcaverint, certiora Astrologiæ fundamenta esse sectanda, quæ indubitatis Exemplorum Inductionibus, quibus & Medici sæpè uti solent, nituntur. Nec etiam hîc per omnia Cardani Aphorismis Astrologicis inhærendum est, qui sæpè ex uno Exemplo universalem facit regulam, nec sempet fidelis siderum observator fuit, sicut hâc de re nonnulli Astrologi jamdudũ conquesti sunt, ceu videre est ex Tertio Interveniente Keppleri sect. 136. & 139. Quamobrem nos hîc unicè probatorum Artificum observationes in Germaniæ Climate institutas Astrophilis ob Oculos proponemns, quales sunt observationes Catholicæ Joannis Werneri, Norimbergæ Anno Christi 1513. & seqq. habitæ, in initio septimi Climatis & quasi in umbilico Germaniæ, nec non I. Keppleri Tertio Intervenienti & parti 1. Ephemeridum suarum inspersæ, ut & D. Herlicii, suis publicatis prognosticis Astrologicis per multorum annorum decursum insertæ.

Cardanus

Hisce & meas qualescunq; τηρήσεις, jam per 20. continuos annos habitas, adjungam, easq́; omnes certis quibusdam Aphorismis includam.

Primùm autem communes quasdam regulas, postmodùm etiam speciales, ad singulos Planetas respectum habentes, proponam.

Congressus & Irradiationes Planetarum, quæ fiunt in Ecliptica, fortes gignunt aspectus, & propterea notabilem mutationẽ aeri imprimunt, eumq́; vel ad serenitatẽ, vel pluvias, vel vẽtos, vel nivẽ frigusq́; disponũt.

Cum autem Meteorologia nondum sit integra & omnibus partibus absoluta, quin & in ipsis mundo congenitis sideribus, quantum ad eorũ significationem & ἐνέργειαν attinet, plurima adhuc lateant, quæ satis explorata putantur: Idcircò oportet sanè Astrologum, si, quoad fieri potest, veridicus esse velit, non ex uno vel altero individuo generalem inferre conclusionem, sed ipsô Argô oculatiorem esse, in discernendis omnibus constellationibus, ex quibus de mutatione aeris judicari potest. *Tycho lib. 1. Progymn. Astron pag. 640. & p. 612.*

Et cum actio non tàm agat per modum imprimentis, quàm per modum receptivitatis, ut *Scalig. ait exercit. 16. sect. 2.* hinc siderum effectus ratione diuersorum Climatum variare possunt. Nam Constellationes sub Romano Climate, ubi est major ☉, aerisq; clementia & benignitas, alios effectus producunt, quàm sub Cœlo Pomeranico, ubi est crassior aer, ob densiores è mari vicino expirationes: Imò mutationem aereæ qualitatis in diversis horizontibus sæpenumerò totô cœlô discrepare, ex collatione Observationum apparet: Ubi enim in

Bohemia est cœlum serenum, in Dania potest esse obscurum, & contra. Quare ut quilibet Astronomiæ studiosus cum judicio, moderatèq; hanc Astrologiæ partem tractet, ne vulgo calumniandi occasionem relinquat, operæ pretium facit, si ex Ephemeridibus siderum mobilium positus ac configurationes diligenter excerpat, inquiratq;, quales Meteorologicæ impressiones in suo horizonte ob aliam atque aliam Planetarum dispositionem sequantur: sic enim per experientiam aliquid certi circa hanc mutationem aerearium cognitionem persentiscet & addiscet. *Tycho locô dictô pag. 131. pag. 292. & 578.*

Tempus etiam anni Astrologo perpendendum est: Hoc enim peculiares sibi vendicat affectiones. Nam grandines plerumque in Aprili & Octobri solent cadere, nives in hyeme, & in æstate tonitrua audiri.

Non solùm autem Aspectus Planetarum, sed & eorundem Ingressus in nova signa, stationesque auram sublunarem commovere, & vel humidum, vel siccum, vel nimbosum cœlum efficere queunt. Quin & Congressus, Ortus, Occasus, Culminationesq; Planetarum cum fixis, præsertim iis, quæ non longè ab Ecliptica discedunt, Astrologus nequaquam negligat. Quippe si iisdem diebus, quibus οἱ σχηματισμοὶ mundani contigerint, Interlunium aut Plenilunium, vel alia memorabilis Planetarum constellatio accesserit, haut dubiè insignem aliquam aeris mutationem efficient. Proinde *Aristoteles sub finem 3. Problematis sect. 1. & Plinius quoque l. 2. suæ naturalis histor. cap. 39.* rectè monere videntur: Stellarum fixariam loca vera & habitudines necesse est pernoscere: Etenim siderum Ortus, e. g. Orionis, Arcturi, Vergiliarum, Caniculæ, aliarumque fixarum stellarum, ventorum flatus, imbres, frigora, & siccitates in his producunt inferioribus.

Frigus in hyeme plerunque fit, quando nulli sunt aspectus: quia frigus potissimùm constat absentiâ Solis & caloris subterranei evaporantis: Ubi ergò nulli sunt aspectuum stimuli, ibi nulla evaporatio præcessit: Contrà in æstate Soles producit absentia aspectuum.

Adhæc non prætereantur Eclipses, Cometæ & aliæ generales constitutiones alicujus anni, quæ non parùm naturæ cursum turbare valent: hisce enim commune esse videtur, frangere & infirmare facultatem telluris vegetatricem, atque ejus opus impedire, quod inter cœtera ex pluviis & fluminibus alimentum attrahere, concoquere, idque ad uberiorem metallorum ac vegetabilium productionem convertere

debe-

deberet: Hinc post Cometarum & Eclipsium apparitiones, debiliore existente attractione, concoctioneque humorum in tellure, anni sequi possunt minùs fertiles.

Illi loci, in quibus est multum ignis subterranei, & ubi thermæ frequentes reperiuntur, terræ motu magis concutiuntur, quàm loca maritima, ubi ejusmodi ignis non suppetit. Hinc Constantinopolis, Basilea, & alia Helvetiæ loca terræ motibus valdè sunt obnoxia.

Naturæ signorum, quæ ex trigonis sumitur, parùm recentiores Astronomi tribuunt, nisi stellæ fixæ tali qualitate præditæ in iisdem hæreant, sicut hac de re copiosè disserit *Kepplerus cap. 6 trigoni ignei.* Quando validæ constitutiones, ac contrariorum Planetarum radii misti sese offerunt, sæpe unus alterius influxum impedit & reprimit, & sic effectus confunduntur, concursu multarum lentarum radiationum: sic ☌ ☉ ♄ vel alius utriusq; Pl. aspectus coincidens cum conjunctione vel Opposit. ♃ ☿ non obscurum neque ventosum, sed serenum cœlum causari potest.

Si Astrologus de Annonæ futuræ expectatione, fructuumq; proventu velit ferre sententiam, necesse est, ut illorum siderum influxum consideret, qui accidit tempore sementis & germinationis, floris ac maturitatis. Quandoquidem nonnullorum Planetarum, siderumq́; constellationes possunt nocere sationi plantationive: Si enim frigus quædam constellationes attulerint, vel semen vel flores præ nimio gelu perire possunt. Si qualitas cœli grandinosa circa proventus fructuum tempus, maturescentibus germinibus & vitibus, surrexerit, iis maximum detrimentum inferre valebit. Veluti Annô Domini 1520. mense Septembri ob stationem ♄ in 26.gr. ♑. & confluxum aspectuum reliquorum Planetarum, cùm ☿, ♀, & ☉ quadratum cum ♄ miscerent radium, & ♂ in ejus ☍ platica versaretur, sævum gelu accidit, quô racemi, uvæq́ue per Germaniam fuerunt plurimùm læsæ, nec ad perfectam maturitatem potuerunt pervenire, ingensque vini defectus & penuria consecuta est. Contrà Anno Christi 1617. Trigonica ♄ & ♃ radiatio mense Septembri calidum effecit aerem, unde Uvæ succô fuerunt repletæ & percoctæ, lætaque vindemia, præsertim ad Rheni tractum, peracta est.

Neque etiam omnes causæ tempestatis à constellationibus dependent; sed & tellus suas habet vicissitudines humiditatis & siccitatis: Nam telluris globo (quod Meteora attinet) duplex inest facultas: Una attra-

hendi aquas marinas in occultas concoctionis ſedes: altera expellendi vapores concoctos per quendam quaſi ſudorem. Harum facultatum alteram, nempè expultricem, ſtimulari ab Aſpectibus Planetarum harmonicis certum eſt, quô ſtimulô efficitur, ut continua quidem, at non perpetuò Uniformis ſit expulſio vaporum, ſed multis intervallis interrupta ejus vehementia, prout Aſpectus ordine Aſtronomicô inciderint. Interdum etiam poteſt deeſſe telluri, quod excernat. Tunc enim, experientiâ docente, ſolent exiſtere pro pluvijs halitus quidam ardentes, inanes & ſulphurei, ut accidit menſe Junio hujus anni 1634. ubi poſt ☌ ♃ ♀ & □ ☉ ♂ ſiccitates & calores ſubſequebantur, nec natura ab Ingreſſu ♂ in ♎, & Qu. ♂ ♀, nec ab oppoſitione ♄ ☿ ad pluvias impelli poterat. Aliquando etiam una hyems eſt tepida, qui tepor exceſſu frigoris ſequenti hyeme compenſatur, ita, ut cœlum nō tantùm hoc frigus moveat, ſed & intra viſcera terræ ſuas habeat abditas cauſas, nulli Aſtrologo ſatis perſpectas. Imò pro varietate Regionum alia atq; alia poteſt eſſe aëris diſpoſitio. Sic cis Alpes & in Germania ſuperiori ac inferiori tepida poteſt eſſe hyems: Trans verò Alpes in Italia atque Hiſpania contrà frigidiſſimum cœlum, ſicut accidit hyeme illâ, quæ interceſſit, inter annos 1604. & 1605. Hanc diverſitatem rectè videtur *Kepplerus in ſuo tractatu de nova ſtella Serpentarij* contuliſſe in expirationes Alpium: Dum enim per iſtam hyemem Alpes in perpetuis evaporationibus fuerunt, materia ventorum, frigore aeris repercuſſa, circulariter fuit diffuſa, pars verſus Septentr. pars in Meridiem. Quæ igitur in Meridiem ſupra Italiam abiit, cum à Borea plaga venerit, valde frigida fuit; Quæ verò in Germaniam Septentrionalem delata eſt, ab Auſtro veniens, naturam iſtius plagæ tepidam retinuit. Hinc diſpar iſtius hyemis in diſparibus locis ratio. Sic & æſtas ejuſdem anni 1604. per Germaniam & Gallias fuit impendiò humida, ideoque peſtilens, trans Pyrenæum in Hiſpania verò ſicca & ſterilis. Deus etiam, totius orbis arbiter & moderator, non ſemper alligatus eſt cauſis ſecundis, ſed pro ſua divina ſapientia multa ita diſponit, ut alios atque alios, quàm nos putaveramus, eventus conſequantur: neque hîc prædictiones Aſtrologicæ rejiciendæ ſunt, *Hen. Ranzovius ad Tychonem tom. 1. Epiſt. 1.*

Quare ſemper Aſtrologo ad haſce omnes efficientes & ſufficientes mutationum auræ ſublunaris cauſas reſpiciendum eſt.

Cæterùm, quod ad Planetas in SPECIE ſpectat, hic primùm ☉ attendendus eſt. Quemadmodum enim ille ſiderum princeps SOL, qui

majeſta-

majestatem suam per splendorem radiorum exerit, reliquos Planetas, seu quidam vitalis fons, circumagit: Ita quoque eos ad influxum super universam mundi amplitudinem per aptas harmonicasque cœli figuras excitat, ut temporum dispositiones, quantùm ad quatuor primas & Elementares qualitates, videlicet, humorem, siccitatem, calorem & frigus attinet, manifestò varient. Imò hæc lux mundi per suum accessum atque recessum à nobis varia anni tempora, præsertim Ver, Æstatem, Autumnum atque Hyemem efficit. Hinc igitur sequitur, quod de nocte & hyeme, quando ☉ non adest vel non apparet in horizonte aura sit frigida: Contrà verò suâ præsentiâ, quando & suum & reliquorum Planetarum lumen fortiùs ad nostras regiones dirigit, omnia calefaciat: siquidem lumen ☉ per motum ad nos defertur, cum quo & repercussus radiorum conjunctus est: Hinc lux cœlorum est caloris effectrix, quem in corporibus rerum vegetabilium, quæ informat, excitat, & eum pro viribus tuetur. Quando igitur ☉ versatur in ♋, rectè, nec obliquè ad nos suos radios projicit, in ♑ verò obliquè: Unde iterum sequitur, quod tunc fortior caloris ☉ operatio sentiatur: nam hoc lumen ☉ tali potentiâ est præditum, ut non solùm corpora inferiora illuminet, sed & calore interiore naturam sublunarem foveat, & quò diutiùs calor ille perseverat, eò quoque fit auctior. Hinc & colligitur, quod mensis Julius consuetò more, & cæteris paribus, calidior sit, quàm mensis Junius, & hora 2. pomeridiana calidior, quàm ipsa meridies. Quamvis enim ☉ in Junio per signum ♋ ad nos maximè ascenderit: tamen, cum terra hunc calorem ☉ non per adeò amplum temporis spatium persenserit, quàm posteà in Julio, & licet ☉ quidem circiter secundam incipiat notabiliùs descendere, nihilominùs tamen, cum per illud tempus calor perseverans ☉ cum terra arctiùs conjungatur, major etiam inde calor aeri imprimatur necesse est.

Porrò ex positu ac habitudine reliquorum Planetarum ad ☉, eorum quoq; effectus & influxus in sublunaria quodammodò deprehendi possunt. Etenim ☉ formaliter nihil aliud est, quàm lux: hinc suâ præsentiâ calefacit: Lunæ proprietas est humectare: reliqui quinq; Planetæ per proprium lumen etiam calefaciunt & humectant. Et cum ♃ sit medius inter tres superiores Planetas, debetur ei temperata qualitas calefaciendi humectandi: Marti, quia Soli est præ reliquis Planetis vicinus, debetur qualitas excedens caloris & siccitatis ob defectum humoris; Saturno verò, quia est remotissimus

à Sole, tribuitur excessus humiditatis & defectus caloris, unde merum gelu existit. ♄ igitur Astrologis est actu siccus, instar gelu, & potentiâ humidus: quia materiam frigoris capacem cogit. Inferiores duos quod attinet, cum Mercurius sit secundum Hypotheses Copernici & Brahei Soli proximus, prædominium ei caloris & succedens qualitas humoris, quæ respondent calori Martis & humiditati Jovis, tribuitur. Excessus autem humiditatis Veneri relinquitur, quæ humidæ qualitati Saturni & calidæ Jovis æquipollet, atque sic colliguntur alternantes quinque Planetarum qualitates, ita, ut duo Lumineria quasi fons Caloris & humiditatis statuantur, reliqui verò Planetæ tanquam rivuli harum etiam qualitatum certô respectu, & in certo gradu participes fiant. Quandocunque igitur ☉ ad ferventis naturæ astrum vel calidum, veluti ad Jovem aut Martem, æstate defluxerit, calidam aeris dispositionem auget, & tonitrua fulminaque excitat: Circa reliquas autem anni partes ventos, vel remissionem frigoris. Defluxus quoque Solis, â Jove ad Martem & vice versâ, ventorum flatus excitare valet. Si verò ad frigidum Planetam, nimirum ad Saturnum, corpus aut radios suos deflexerit, tunc auram sublunarem frigidâ qualitate e. g. frigidâ pluviâ, grandine, tonitru, nebulâ, nive, &c. intemperantiorem reddere potest. Sol verò cum Mercurio conjunctus aut configuratus magnas habet vires in Meteoris causandis, & ventos, pluvias, imbres, nivesque pro statu anni, nec non Parelios, Paraselenas, Irides, Halones & alia Phænomena producere potest. Sic & ☉, cum Venere radios miscens aut congrediens, humidum aerem, pluvias, imbres & æstate quoque tonitrua ciet. Interlunia verò, Plenilunia, reliquique aspectus Solis cum Luna ob præproperum Lunæ motum in commovenda aura parùm proficere possunt, nisi stimulô aspectuum reliquorum Planetarum incitentur, sicut paulò post pluribus dicemus. Posteà super aeris mutatione etiam SATURNUS magnam habet potestatem, diuturnasq; impressiones ob motus tarditatem in aere ante & post relinquit. Et si venit ad radiationem Jovis, e. g. triangularem aspectum, plerunque siccitatem & calorem excitat. Exempla observata sunt Anno Christi 1516. mense Julio & Anno 1614. mense Septembri, imò passim, ita ut & fontes & amnes ob sicciorem & calidiorem aeris dispositionem aruerint: ♄ etiam cum Jove (*inquit Kepplerus in Optic. Paralipomenis pag. 274*) vapidum ex calentibus terræ latebris educit aerem, qui in producendis meteoris ingentes habet vires.

Satur-

Saturnus cum Marte configuratus, si & cum iis Jovis aspectus complicatus est, solet ventos, pluvias, nives & gelu, pro diversitate temporum anni, afferre: In Vere quandoque etiam ventos, pluvias & nimbos movet. Autumnali Hybernoque tempore, mediocre gelu & nubilum cœlum. Post ☌ ♄ ♂ in ♒ Anno 1542. terræ motus Constantinopolim infestavit. Defluxus Saturni à radiis Solis ad radios Martis est apertio magna ad ventos, pluvias, vel niveum aerem pro ratione partium anni. Conjunctio vel alij Aspectus Saturni cum Sole in hyeme frigidum & nivosum aerem: In Vere pluvias frigidas: In Æstate quandoque subfrigidum aerem & ventosum causantur; nisi aliæ Constellationes obstiterint: e. g. Si ☉ à Saturni ad Jovis radios defluat, impedietur prior influxus, ita ut serena aura existere queat, sicut accidit Anno Christi 1629. die $\frac{10}{20}$ & $\frac{11}{21}$ Octobris sub Conjunct. Solis & Saturni & □ ☉ ♃.

Sic & ♄ cum Venere frigidas pluvias vel nives pro diversitate partium anni efficere potest.

Saturnus cum Mercurio turbulentum & subfrigidum aerem Vere atque Æstate, Hyemeq; nives gignit & societate Solis duplicatur illa dispositio temporis frigidior. Sic annô Christi 1572. exeunte Octobri, quando ☌ ☉ ♄ & ☿ lentô gradu facta est, præcox, diuturnum & inordinatum frigus extitit, sicut observavit *D. Philippus Appianus apud Tychonem lib. 1 Progymnasm. pag. 645.* Statio Saturni prima vel secunda tenebras aeris, nubium crassitiem, ut & gelida ac turbida tempora afferre potest, præsertim si Mercurii Aspectus accesserit: hinc enim ex Observatione Werneri Anno 1520. mense Majô gelidissima aeris constitutio accidit, ut omnia vitium germina perierint.

Saturnus in angulis inprimis aerem commovet, & vel nebulas, vel aliam mutationem pro diversitate Aspectuum parit.

Saturni quoq; Conjunctiones & Culminationes cum stellis fixis, tum ob tardum suum motum, tum, quod in medio cœli efficax esse soleat, multùm in mutanda natura sublunari possunt.

Magnæ Conjunctiones superiorum Planetarum videntur impedire concoctionem globi terrestris, quò minùs aquas marinas attrahat, unde quædam anni sterilitas existere potest.

JOVIS & Martis Constellationes aerem ad calorem plerunq; disponunt, sæpe etiam in illis locis, in quibus multum est ignis subterranei, terræ motum inducunt. Veluti Anno Christi 1531. die 13. Julii fuit ☍ ♃ ♂ in 17. gr. ♎ & ♈, ubi Lusitania gravissimo terræ motu con-

quassata

quassata fuit. Sic & Anno Christi 1530. die 13. Octobr. sub ☌ ♃ ♂ in 10. gr. ♒ terræ motus extitit. ♃ quoque & ♂ apud tempestuosas stellas, e. g. Arcturum, Aquilam, Caudam Delphini, Lucidam coronæ &c. ventos, grandines, & circa æstatem etiam tonitrua cient: Hyeme ad teporem & ventos ♃ & ♂ aerem disponunt, præsertim Jove existente stationariô: aliàs ob ventum Boreum interdum mediocre gelu producunt. ♃ cum Sole in æstate squalorem, quandoque etiam fulmina & tonitrua; in hyeme remissionem frigoris efficit.

Defluxus Jovis à Sole ad Martem, vel vice versâ, ventorum vehementium flatus causatur: Si Solis & Jovis radiationi etiam Veneris stimulus per Aspectum accedit, plerunque pluviæ cadunt: Jovis quoque defluxus à Venere ad Martem, vel contrà, pluvias inducit, & hyeme nives.

Jupiter cum Venere in genere serenitatem affert: In Æstate etiam tonitrua, præsertim etiam apud stellas Martiales.

♃ & ☿ configurati ventorum flatus suscitant; & diuturna experientia Astrologos docuit, quod, quoties ♃ cum Mercurio radios circa plenilunium vel interlunium miscet, aer turbulentus & ventosus existat.

Jovis quoque Ortus, Occasus & Culminationes meritò attenduntur: Nam transitus ejus per Cor ♌ circa autumnum ventum subsolanum & de nocte frigidam auram, circiter meridiem verò gratum aerem lucidumque cœlum efficere solet.

Cùm MARS calidus censeatur Planeta, idcircò Soli conjunctus, vel eum aspiciens calorem quendam aeri imprimit: Æstate æstum, hyeme remissius frigus efficiens; Quin & fulmina & tonitrua movet. Hoc observationes Astrologorum confirmant: Etenim Anno 1513. circiter 26. Julij fuit ☌ ♂ ☉ in ♌ signo prope Sirium, ubi inprimis, teste Wernero in Cathol. Aphorismis, ingens calor apparuit: Idem quoque accidit Annô Christi 1590. in Julio, 1592. in Augusto, Anno 1594. in Septembri; annô 1596. in Octobri, anno 1598. in Decembri, ubi frigus remisit. Annô 1605. in Junio, Anno 1607. in Julio. Annô 1621. in Majo. Confer & *cap. 46. Tertij Interven. Keppleri.* Si verò hæc conjunctio & aspectus fiat in radiatione Saturni e. g. Quadrato vel conjunctione, frigus quandoque existere potest: Hinc & D. Herlicius Anno 1616. die $\frac{4}{14}$ Januarij sub ☌ ☉ ♂ frigus prædixit, & eventus respondit: quia præcesserant □ ☉ ♄ & □ ♄ ♂. Martis igitur Constellationes ordinariô modô

calidi-

caliditatem & ſiccitatem tempore Veris & Æſtatis, nec non imbres, tempeſtates, tonitrua, grandinem, coruſcationes, fulgura & incendia adducere ſolent. Defluxus à ♃ ad ♄, & vice verſâ, largas pluvias aut nivem efficit.

Mars cum Venere eſt apertionis portarum anſa, & pluvias, tepidos imbres, fortes coruſcationes, ventos, Zephyrumq́ue & nives pro ratione partium anni movere ſolet. Aſpectuum Martis & Veneris operatio ſæpe per continuos aliquot dies durat, cùm Planetæ ſint curſus propemodùm æqualis.

Mars cum Mercurio facit ventos vehementes, circa Ver & Autumnum grandines, & circa hyemem nives.

♂ nova ſigna ingrediens plerunque etiam afficit aerem: ſic Mars in ♊ per ſuculas vel hyadas nebuloſum & pluvioſum aerem cauſatur. ♂ in ♋ cum latitudine aliqua Septentrionali in autumno & hyeme tepidum aerem efficit, pluvias quoque & ventos excitat: Sic ♂ Anno 1630. circa Januarium & Februarium in ♋ cum latit. 3. grad. Bor. verſatus eſt in Oppoſitione Solis, Lunaq́ue orbe Martem reviſit: Unde hyeme tepidum aerem, pluvias atque ventos, nec non acutos cerebri morbos ſenſimus, præſertim cùm & ♂ cum ♀, ♄, & ☿ radios miſceret.

Martis per pleiades tranſitus aliquot diebus pluvioſam efficit tempeſtatem. *Stadius in Tabb. Bergenſibus.*

♂ cum Stellis fixis congrediens, vel cum iis, præſertim tempeſtuoſis, ut ſunt Arcturus, Aquila, Lucida coronæ, Cauda Delphini, Palilicium, Cor ♏, Procyon, Fidicula, Spica ♍ &c. oriens vel occidens turbulentum, flatulentum, æſtuoſum & inſalubrem reddit aerem.

VENERIS & Mercurij aſpectus, (ut ſunt, ☌, SS. & ✱ &c.) cùm Planetæ ſint æqualis ferè motus, per aliquot dies exceſſum humiditatis, ventorum, nivium &c. inferre poſſunt. ♀ in prima decade ♋ pluvioſum cœlum ſæpiùs inducere conſuevit. Veneris tranſitus per hyadas, pleiades & aſellos, itidem pluvioſum cœlum facit.

MERCURIUS in commovendis tempeſtatibus plurimùm poteſt, quod & *Kepplerus de ſtella Serpentarij pag. 40. affirmat.*

☿ cum Marte & Jove pluvias ſubitaneas cum magnis flatibus efficit, nec non nivem pro ratione partium anni: Defluxus quoque ejus ab uno Planeta ad alium Parelios, irides, halones, Paraſelenas

& Chaſmata adducit, quæ, quando conſpiciuntur, plerunq; per aliquot dies Cœlum pluvioſum ſignificari ſolet. ☿ etiam cum ſuperioribus, vel corporaliter, vel per radios, miſtus non ſolum flatus vehementes, ſed & terræ motus, & inundationes cauſatur, ſicut annô 1508. menſe Aprili & Auguſto, annô 1601. menſe Septembri, & 1613. exeunte Majô exempla occurrerunt. Quoties etiam ☿ curſu ſuô convertitur, & vel directus vel retrogradus fit, per ſe turbat aerem, & ſi vel in corpus, vel radios Jovis aut Martis impingit, horribiles ventos; in Saturni & aliorum Planetarum aſpectus, frigidum, nubilum, nimboſum, craſſum & inquietum aerem efficere ſolet.

Mercurij autem motus nondum ab Aſtrologis ſatis exactè eſt cognitus, præſertim circa ſtationes & coitus ejus cum Sole, ubi adhuc aliquâ correctione indiget, ceu ipſe Kepplerus in Tabb. Rudolphinis ingenuè fatetur. Hinc fieri poteſt, ut Conjunctio ejus cum ☉, vel ſtationum tempora, interdum anticipent aut poſtponant. Quamobrem tunc ejus Conſtellationes non uni diei ſunt aſtringendæ, ſed cum quadam latitudine collocandæ.

LUNA ob concitatum ſuum, celerrimumque motum, & transcurſum Planetarum non adeo multum videtur conferre ad auram ſubitò mutandam: Experientia tamen teſtatur, quod, ſi mobilium ſiderum conventus aut aſpectus in plenilunium vel interlunium, vel alias Solis Lunæque radiationes inciderint, eò efficacius horum influxuum virtutes ad inferiora deferat: Sunt enim ☽ & ☿ veluti vehicula reliquorum Planetarum.

Si etiam Phaſes Lunæ in Angulis cœli e. g. Oriente, Meridie vel Occidente acciderint, imbrem deducere conſueverunt.

Denique ſi ☽ per aliquem aſpectum ad Planetas, qui radios quoque inter ſe miſcent, ſe applicuerit, ipſorum ſignificationem promovebit, imò quaſi ſtimulis additis urgebit.

Nunc inſuper reſtat, ut haſce regulas diverſis Obſervationibus Aſtrologorum adductis confirmemus, monſtremusque, quomodò ex iis tempeſtatum præſagia formanda ſint. Illud autem Judicium 1. ex Wernero, poſtea etiam ex Kepplero petemus, illisque proprias quoque Obſervationes ſubjungemus, ut Aſtrophilus habeat normam, ad quam ſuas prædictiones dirigere & corrigere queat.

Particula

Particula Observationum trium mensium, Januarij, Februarij, & Martij, Anno Christi 1513. Norimbergæ habitarum, ex VVerneri Aphorismis super aëris mutatione.

Hôc annô à prima die Januarij usque ad 15. ejusdem mensis magnus admodùm aeris tepor extitit, haut secus, quàm qui in vere solet accidere : tunc enim jungebantur calida illa sidera ♃ & ♂, qui cum Sole quoque & Mercurio suos radios miscebant. Ad calculum Tabb. Alphonsinarum hæc ☌ ♃ ♂ in principio ♈ facta est. Circa 15. diem ejusdem mensis Jan. ♄ & ☿, frigida sidera, tetragonô configurabantur aspectu, eô die non mediocre gelu, argeste flante, cœpit esse, densæq; nives cadebant. Nonô Februar. ☉ ingressus ♓, applicuit ad △ Saturni stationarij, ubi multis diebus ingens gelu cum multa nive extitit, & ventus Argestes crebrò flabat. Et quia 17. Februar. Veneris astrum defluebat ad ☌ ♃ in ♈, fuit magna aeris serenitas & tranquillitas : Jovis namque & Veneris astra mirum in modum placidæ atque tranquillæ sunt complexionis, usque adeò, ut hæc sidera sese invicem complexa, summam aeris efficiant temperiem : Nubila tamen aeris affectio fuit, sic ut ☉ non emitteret die 17. Febr. claros sui splendoris radios, nec sequenti nocte sidera videbantur: Duravit hoc aeris temperamentum usque in diem 18. Febr.

Die 19. Febr. propter plenilunium & Martis in ♉ ingressum nives copiosè recidebant, flante Argeste, ventô satis procellosô, qui duravit usque ad 21. Februar.

Die 23. Febr. quia ☉ quasi per 1. gradum recesserat â trigono Saturni: Ideò remissum fuit gelu, & magna & ingens aeris tranquillitas eôdem die apparuit.

Die 1. Martij Subsolanus vehementer flabat propter conjunctionem ☉ & ☿. ☿ namque plagam Orientis sibi vendicat. Die 4. Martij quædam frigida aeris peristasis fuit flante subsolanô, & glacie niveque liquescentibus : fortassis id efficiente Trigoni Mercurii ad Saturnum applicatione. Die 7. Martij summa fuit serenitas & tranquillitas aeris, ♀ tunc fuit ingressa ♉. Duravit hæc serenitas usque ad diem 15. Martii.

Deinde verò usque ad diem 18. Martij propter applicationem Veneris ad Oppositionem Saturni aer fuit nubilosus, tranquillus tamen, nullis pluviis cadentibus.

Die 18. Martij juxta Calculum Tabb. Alphons. fuit ☍ ♀ & ♄, & paulò ante occasum Solis cœpit esse serenum cœlum, duravitque hæc serenitas usque ad diem 21. Martij, quô dimidiâ horâ post meridiem fuit Plenilunium, præcisè in vespertinô exortu Aristæ, quam constellationem mediocres comitatæ sunt procellæ & grandines, duravitque hæc aeris περίστασις per quinque dies, ac deinde per 5. dies serenum fuit cœlum, gelidô tamen Boreâ flante. Die 27. Martij fuit ☌ ♂ ♀ efficiens parvulum quoddam frigus & aeris tranquillitatem, noctis verò tempore imber subsequebatur. Die 28. Martij ☌ ☉ ♃ concitavit Argesten vehementer flantem, & quædam imbrium sparsio extitit, â meridie verô usque ad vesperam serenus aer affulsit.

Die 29. Martij propter vespertinum exortum Aristæ satis magnum fuit frigus, & manè gelida pruina sparsa fuit, atque glacies apparuit, & congelatio aquarum. Accessit quoque ✱ ♂ ☿, duravitque hoc gelu totâ fermè die, Boreâ leniter spirante.

Alia Paradigmata in Bohemia observata, quæ ad examen Aspectuum Meteorologicum faciunt, circa mensem Decembrem S. N. Anno Christi 1609. ex Keppleri Tertio Interveniente *desumta.*

DIe 1. Decemb. S. N. anni 1609. ☿ motu suô conversus & retrogradus factus est, unde 1. & 2. Decemb. nubilum & egelidum cœlum cum frigidulis ventis subsecutum est: Siquidem Mercurij stationes instar aspectus duorum Planetarum operantur. Die 3. & 4. ubi nulla aderat constellatio, cœlum clarescebat, & aquæ glacie concrescere cœperunt. Die 5. fuit B. Q. ♃ ♂, qui turbidum cœlum & frigidiores flatus attulit. Dies 6. ab Aspectibus & ventis siluit. Die 7. iterum asperior ventus post meridiem, ob □ ♄ ♀ & ☍ ☉ ♃, ortus est. Die 8. ventus

auctus

auctus est sub B. Q. ♃ ♀. ita ut aquæ conglaciatæ sint. Existimo (addit Keplerus) quod in locis montosis copiosæ nives ceciderint, unde tam subitanei frigidi venti surrexerunt. Repentinum enim gelu à ventis producitur: Hinc & diu consistere nequit, sedatô enim ventô, cum terra nondum ad constans frigus sit propensa, glacies quoque ista levi causâ solvi poterit. Die 9. & 10. frigida fuit aura & aquæ gelu concretæ sunt. Die 11. fuit ☌ ☉ ☿, ubi frigidus Subsolanus flavit, & vesperi cœlum niveum extitit, ita ut in Bohemia hæc conjunct. tantùm nebulos ac ventos attulerit.

Die 13. in Bohemia pluit, in Voitlandia verò ninxit, unde suspicatur Kepplerus ☌ ☉ ☿ præcedente nocte ingruisse. Die 14. fuit ☌ ♂ ♀, quæ pluvias in Bohemia, in Voitlandia verò plurimam nivem movit, ita ut viæ passim inexplicabiles inde factæ sint, ♀ sat amplâ latitudine Septentrionali fuit prædita, & ☿ retrogradus in SS. ♂ & ♀ cucurrit, qui aspectus apertio portarum ad pluvias & nives fuit.

Die 17. rigidus Zephyrus flavit usque ad tempus pomeridianum diei 18. sequentis. Causam hujus auræ mutatæ Kepplerus assignat ☍ ♃ ☿: quia ☿ motus circa stationes nondum in debito puncto est exploratus, & ad unum duosve gradus in anterioribus signiferi partibus statuendus est; Tabb. Prutenicæ eum in 17. gr. ♐ constituerunt, sed ad Ephemeridas Kepleri in 15. duntaxat gradu substitit: Kepplerus enim, compluribus observationibus ☿ circa stationes edoctus, eum retrò ponere coactus est.

Die 18, 19, & 20. iterum serenum & frigidum cœlum extitit, cum natura ab Aspectibus feriata sit. Sub noctem diei 21. tempestuosus Favonius coortus est, qui diu flavit & nonnullas pluvias inspersit, quam tempestatem itidem Kepplerus ☍ ♃ ☿ tribuit: nam cum Mercurij juxta hanc correctionem Kepplerianam, maturiùs quasi subsistere & rursus directus incedere debuerit, necessariò citiùs Tabb. Prutenicis in Oppositum Jovis radium impegit, & motus ejus fuit diuturnior, qui usque ad 23. duravit, ubi & Qu. Saturni & Veneris accessit. Die 27. 28. & 29. iterum gelu ingruit, unde denuò aquæ consistere frigore cœperunt, cùm nullus aspectus illud impediens inventus fuerit. Die 30. juxta Tabb. Tychonicas fuit Qu. ♄ ♂, ubi vehemens Libanotus flavit & seq. die 31. Pluviæ subsecutæ sunt, à quibus glacies fluminum antè concreta in aquas dissoluta est.

Qui plures Obſervationes Meteorologicas Kepplerianas cognoſcere ſatagit, is primam ejus Ephemeridem, ad Annum 1617. conſcriptam, conſulat: Siquidem ei mutationes auræ de die in diem inſertæ ſunt.

Nunc etiam ex propriis meis obſervationibus hîc quatuor menſes ex quolibet anni quadrante excerptos ſiſtam, eorumq; tempeſtates ad cauſas aſpectuum & incidentium conſtellationum ſuccinctè revocabo, ut Aſtrophilus habeat exempla, quæ tutò ſequi poſſit.

Exempla Obſervationum Meteorologicarum in quatuor menſibus, Julio & Octobri, ad Annum Chriſti 1633. nec non in Januario & Majo ad Annum Chriſti 1634. Sedini Pomeranorum habitarum.

Die 1. Julij Anni Chriſti 1633. pluviæ ceciderunt, poſtea cœlum inclaruit. Accidit ☌ ♃ ♂ in 18. grad. ♊ ad Tabb. Rudolph.

Die 2. Julij iterum pluit & Favonius flavit ob ☌ ☉ ♀ ante meridiem. Die 3. Baltheum Orionis cum Sole ortum eſt, ubi ventorum flatus continuârunt; quia ☉ & ♀ tardè à ſe invicem digreſſi ſunt. Die 4. rurſus pluit: ♃ enim & ♂ in S.S. ☉ atque ♀ verſati ſunt: Dehinc à 5. ad 16. Julij ſudum atque æſtuans cœlum fuit: Nam cœlum ab Aſpectibus ſiluit, hinc in noſtro Climate Solis calor ſe magis magisq́ue exeruit. Die 17. Aſellus Auſtr. ♋ cum ☉ ortus eſt, ubi pluviæ, aura frigida flatulentaque extiterunt, quam aeris mutationem non ſolum △ ☉ ♄, ſed & ☌ ☉ ☿ tribuo: Quanquam calculus Keplerianus eam in ſequentem diem rejecerit. Et quia ♄ etiam △ cum ☿ miſcuit, idcircò quædam apertio portarum fuit ad humidam & ventoſam auram, quæ & ad diem 18. perduravit. Die 23. Julij iterum pluvioſum & frigidum cœlum, ut & ſequente die, experti ſumus: Etenim ♀ in 11. gr. ♋ dirigi cœpit, & cum ☽ congreſſa eſt. Die 25. fuit novilunium poſt meridiem, fuit & ☌ ♂ lucidi pedis ♊; Quin & ♃ occidit cum Procyone, ubi ſatis frigida aura ſpiravit poſt illas pluvias. Die 26. ♄ ad 1. ſtationem in 3. gr. 31. min. ♐ pervenit, & ſtetit in B.Q. Veneris, unde nubilum ac ſubfrigidum cœlum

extitit,

extitit, quod & die 27. perseveravit, ubi incidit ⚹ ♃ ☿. Quia igitur ♄ non procul à corde ♌ in prima sua statione abfuit, idcircò per aliquot dies pluviosum & nubilum cœlum continuavit: Imò die 30. sub occasum ☉ fulgura & tonitrua surrexerunt, quæ iterum sequenti die frigidus & obscurus aer excepit.

